CORPVS SCRIPTORVM ECCLESIASTICORVM LATINORVM

EDITVM CONSILIO ET IMPENSIS
ACADEMIAE SCIENTIARVM AVSTRIACAE

VOL. LXXV

BENEDICTI REGVLA

EDITIO ALTERA EMENDATA

RECENSVIT

RVDOLPHVS HANSLIK

VINDOBONAE
HOELDER-PICHLER-TEMPSKY
MCMLXXVII

CORPVS SCRIPTORVM ECCLESIASTICORVM LATINORVM

EDITVM CONSILIO ET IMPENSIS
ACADEMIAE SCIENTIARVM AVSTRIACAE

VOL. LXXV

BENEDICTI REGVLA

EDITIO ALTERA EMENDATA

RECENSVIT

RVDOLPHVS HANSLIK

VINDOBONAE
HOELDER-PICHLER-TEMPSKY
MCMLXXVII

BENEDICTI REGVLA

EDITIO ALTERA EMENDATA

RECENSVIT

RVDOLPHVS HANSLIK

VINDOBONAE
HOELDER-PICHLER-TEMPSKY
MCMLXXVII

OMNIA IVRA RESERVATA
© HÖLDER-PICHLER-TEMPSKY KG., WIEN 1977

Erstellt mit Unterstützung durch den Fonds zur Förderung wissenschaftlicher Forschung

VINDOBONAE
Ex universitatis Vindobonensis officina typographica
Adolphi Holzhausen Successorum

MONACHIS

ORDINIS S. BENEDICTI

RELIGIONE HVMANITATE DOCTRINA

EGREGIIS

INDEX

AD ALTERAM EDITIONEM IX

PRAEFATIO XI
De sancti Benedicti vita XI
Quando regula scripta sit. XII
De Regula Magistri XIV
Quale fatum textus regulae habuerit. XV
De codicibus XXII
De regulae editionibus LXIV
Conspectus siglorum codicum LXVII

BENEDICTI REGULA 1

INDICES 182
Index scriptorum 182
Index verborum 192
Index orthographicus 344
Index grammaticus 349

AD ALTERAM EDITIONEM

Ut alteram editionem Regulae Benedicti, correctam melioremque, ut spero, perficerem (sed falsas lectiones talium codicum, qui erroribus scatent, neglexi, si sensu omnino carent neque in aliis codicibus inveniuntur), imprimis recensione egregia prioris editionis commotus sum, quam scripsit P. Meyvaert, Towards a History of the Textual Transmission of the Regula S. Benedicti, Scriptorium XVII (1963) 83—110, cui magnam gratiam debeo. Praeterea ratio erat habenda diversorum studiorum ad Regulam Magistri pertinentium, quae viri doctissimi F. Masai, D. Knowles, E. Manning, A. de Vogüé publici iuris fecerunt. His omnibus et Bernardo Bischoff, qui me in codicibus aestimandis adiuvit, gratias ago.

Praecipuam autem gratiam debeo assistenti meae Dr. Barbara Giorgi-Tichy, quae codices partim mecum, partim sola contulit, doctorum virorum opera ad RB et RM pertinentia perscrutata est; postremum institutioni Austriacae „Fonds zur Förderung der wissenschaftlichen Forschung", quae pecunia me adiuvit, et Dr. Michaelae Zelzer, quae plagulas mecum legit.

Vindobonae, Kal. Iun. anni MCMLXXVI.

RUDOLPHUS HANSLIK

PRAEFATIO

De sancti Benedicti vita

Ortus est sanctus Benedictus, ut Gregorius Magnus, dial. II praef. affirmat, „liberiore genere ex provincia Nursiae" (Norcia) in Sabinorum terra sitae, natus autem circa annum 480, cum Italia Hunnis, Vandalis, Herulis incursantibus vastaretur. Adulescens Romam missus ut liberalibus litterarum studiis se dederet, arte rhetorica aliquamdiu eruditus schola praemature relicta prope Sublacum (Subiaco) recessit in desertum, ubi primum eremitae vitam degit loco quodam, qui Effide (Affile) dicebatur, moratus. Deinde autem in secessum Sublacensem ipsum ad lacum, qui Anione flumine efficiebatur, confugit, ubi primum in specu quodam latuit, mox monasterium condidit, in quo monachi secundum Pachomii instituta vivebant, ut Benedictus etiam orientalium monachorum rationem vivendi sequeretur. Variis autem discordiis fratrumque insidiis commotus monasterium Sublacense reliquit novumque condidit prope Casinum in monte edito, ubi templi Apollinis ruinae erant; quod factum esse circiter anno 529 vulgo traditur crediturque. Ibi autem Benedictus ab iis, qui rebus perturbatis undique ad eum congregabantur, disciplinam, obsequium, stabilitatem in congregatione postulabat; postremum igitur mores et consuetudines eorum ad normam redegit, qui in solis occidentis regionibus monachi victuri essent. Quod ut fieri posset, regulam composuit, cuius praecepta diversa erant ab Sublacensis monasterii ordine. Certe igitur Benedictus eam post annum 529 composuit. Si Gregorii Magni dial. II 22 fidem habemus, Benedicto vivo conditum est Terracinense coenobium, quod Casinienses monachi instituissent. Quibus rebus gestis Benedictus vita decessit fortasse ante annum 560 (*cf.* A. de Vogüé, La Règle de Saint Benoît I 170).

Quando regula sit scripta

Prodiit sancta regula et ex Benedicti ingenio et ex coenobii usu cotidiano experientiaque (*cf.* I 6) et ex aliis regulis, ad quorum exemplaria est confecta. Ad Benedicti ingenium pertinet illa discretio et moderatio, quam homines iam Gregorii Magni aetate admirabantur. Fortis est Benedictus in re, suavis in modo. Insignia sunt illa verba, quae extant in prologi paragrapho 46, ubi de „dominici scola servitii" dicit: „in qua institutione nihil asperum, nihil graue nos constituturos speramus". Itaque non postulavit, ut psalterium CL psalmorum uno quoque die psalleretur, sed iam satis habuit, si monachi una quaque septimana hoc orationis pensum absolvissent; brevem enim orationem in cordis puritate praetulit multiloquio (XX 3sq.). Quare evenit, ut Benedicti regula ceteras, quae nimis severae et rigidae essent, paulatim submoveret devinceretque.

Praecepta autem huius regulae, ut dixi, talia non sunt, qualibus in Sublacensi monasterio Pachomiano monachorum disciplina dirigi potuerit. Plane alienum est ab ordine Sublacensi iam illud praeceptum, quod extat in XXII 3: „si potest fieri, omnes in uno loco dormiant; sin autem multitudo non sinit, deni aut uiceni cum senioribus . . . pausent". Inde satis sequitur, ut errent, qui putent regulam iam esse compositam, cum Benedictus monaterio Sublacensi praefuit. Immo Benedictus regulam suam ad hunc vivendi modum, qui in monasterio Casiniensi observabatur, adaptavit, interdum fortasse iam alia quoque monasteria respiciens velut Terracinense, Lateranense (*cf.* I. Schuster cardinalis, Storia di San Benedetto, p. 297, 343sqq.). Composita autem non statim videtur, cum hoc monasterium Casiniense est instauratum, sed aliquot annis post. Praeterea Benedictum regulam non uno impetu confecisse, sed multa aliquotiens mutasse egregie ostendit A. Borias, Rev. Bén. 73 (1963), 111—126; 75 (1965), 312—328; 85 (1975), 38—55. Si ad verba cap. LV 1sq., licet ex Cassian. inst. I 10 fluxerint, respexerimus, Benedictum iam in animo habuisse putabimus alia quoque monasteria praeter Casiniense condere: „uestimenta fratribus secundum locorum qualitate ubi

habitant uel aerum temperie dentur, quia in frigidis regionibus amplius indigitur, in calidis uero minus". Quae si reputaverimus, regulam circiter inter annos 540—560 esse confectam concludemus.

Qui terminus non improbatur Benedicti fontium, quos investigare possumus, testimoniis. De praecipuo, ut creditur, fonte, de Magistri regula, infra disputabimus. Praeterea Benedictus ipse se auctores esse secutum libere est confessus. Cum XLII 3 monet: „legat unus collationes" et cum LXXIII 5 „collationes patrum et instituta" probat velut „bene uiuentium et oboedientium monachorum instrumenta uirtutum", nonne largos fontes regulae suae nominavit? Ex testimoniis, quae optime collegit Cutbertus Butler in editione regulae tertia (1935), facile perspicitur Cassiani, abbatis Massiliensis, opera, quibus inscribitur Conlationes et Instituta, inter Benedicti fontes primarium obtinere locum. Scripsit autem Cassianus ea opera inter annos 420—428. Ex eo, quod Benedictus vita Pachomii duobus locis usus est, certe conicere possumus regulam ante annum 527 scriptam non esse, ut recte adnotavit Anselmus Lentini in editione regulae (Montiscasini 1947), p. XLVIII adnot. 1. Praeterea usus est Benedictus hac quoque regula, quam Caesarius Arelatensis scripserat ad monacharum vitam dirigendam anno 534. Nam certe Benedictus ex Caesarii regula hausit, non Caesarius ex illius, ut optime monstravit Basilius Steidle, Das Inselkloster Lérin und die Regel St. Benedikts, Benediktinische Monatsschrift XXVII (1951), p. 367—385; qui nos docuit Caesarium esse secutum Augustinum, non Benedictum.

Quod pertinet ad fontes, nihil impedit, quominus putemus Benedicti regulam post annum 540 esse scriptam, *cf.* Anscarius Mundó, L'authenticité de la Regula Sancti Benedicti, Studia Anselmiana XLII (1957), p. 137.

Qua scriptura autem Benedictus usus sit, divinare solummodo possumus. Verisimile autem est eum ipsum litteris cursivis scripsisse. Sed cum hic textus dictaretur, ut in monasteriis legi posset, talia exemplaria certe semi-unicalem scripturam ostendebant.

De regula Magistri

Ingens ingeniorum doctorum certamen ortum est, postquam primus A. Genestout, La Règle du Maître et la Règle de S. Benoît, Revue d'Ascét. et de Myst. XXI (1940), p. 51—112 contendit regulam ignoti cuiusdam, quam Regulam Magistri (= RM) appellant, Benedicti regulam (= RB) tempore antecedere, id quod iam anno 1937 auditorio monachorum patefecerat; *cf.* Bernd Jaspert, Die Regula Benedicti — Regula Magistri — Kontroverse, Regulae Benedicti Studia, Suppl. Tom. III (1975). Cum Benedicti prologus et cap. I; II; IIII; V; VI; VII ad litteram fere in hac regula Magistri contineantur, permulti viri docti Magistri regulam fontem Benedicti initio eius operis fuisse adfirmabant. Tradita est RM, quam egregie edidit et praefatione notisque instruxit A. de Vogüé, La Règle du Maître, Sources Chrét. 105—107 (1964/65), tribus codicibus:

μ_1 = Parisino Bibl. Nationalis 12.634, 255×190, s. VI^4, in Italia meridionali, fortasse Capuae (de Vogüé, p. 127, 1) scripto, sed *cf.* E. A. Lowe, Codices Latini antiquiores V 1950, p. 36, nr. 646.

μ_2 = Parisino Bibl. Nationalis 12.205, 310×240, s. VII in., *cf.* Lowe, loc. cit. p. 33, nr. 633.

μ_3 = Monacensi 28.118, 418×328, s. IX, fol. 141^v—184^v, Benedicti Anianensis codice regularum. Qui codices accurate descripti sunt a viris doctissimis H. Vanderhoven - F. Masai - P. B. Corbett, La Règle du Maître, Edition diplomatique des manuscrits Latins 12.205 et 12.634 de Paris (Les Publications de Scriptorium III Bruxelles-Paris 1953).

Dum plane incertum erat, quando μ_1 et μ_2 scripti et quomodo longissimus textus codicis μ_2 et excerpta codicis μ_1 orti essent, difficile erat diiudicatu, utrum Benedictus an Magister prior scripsisset. Praecipua difficultas in hoc sita videbatur, quod lectiones interpolatae regulae Benedicti etiam in Magistri textu apparebant. Sed de Magistri codicum aetate investiganda optime meriti sunt F. Masai - E. Manning, Recherches sur les manuscrits

et les états de la „Regula Monasteriorum", Scriptorium XXI (1967), 205—226. XXII (1968), 3—19, qui μ_1 iam tertiae vel quartae parti saeculi VI adtribuerunt. Deinde magis magisque apparuit multas institutiones regulae Magistri vetustiores esse eis, quae de eisdem rebus in regula Benedicti inveniuntur, v. Bernd Jaspert, Regula Magistri, Regula Benedicti, Bibliographie ihrer Erforschung 1938—1970, Studia Monastica XIII (1971), 129—171. Tota quaestio diiudicata est, si Regulae Magistri textus, qui in cod. μ_1 extat, nihil aliud est nisi pars Eugippii Regulae, ut primus Cardinalis Ildefonsus Schuster, Storia di Benedetto[4] (1965) opinatus erat, deinde L. Verheijen, La Règle de saint Augustin I (1967), 116; II (1968), 214 et A. de Vogüé, La Règle d'Eugippe retrouvée?, RAM 47 (1971), 233—265 argumentis corroboraverunt (v. F. Villegas - A. de Vogüé, Regula Eugipii CSEL LXXXVII 1976). Eugippius enim Regulam scripsit anno ca. 534 (Isidor. vir. ill. 26); textus igitur, ex quo hauserit, ad initium s. VI. pertinere debuit. Hic Magistri textus, qui secundum A. de Vogüé, La Règle de Saint Benoît I (1972), 313, prope Romam urbem inter annos 500—530 ab ignoto quodam compositus erat, plane periit. Sed non solum Eugippius anno ca. 534, sed etiam Benedictus inter anos 530—560 ex eo hausisse videntur. Ultimae dubitationes autem evanescunt, si de Vogüé adsentimur, qui totam quaestionem ita enuclare studuit: Magistri primus textus (hodie deperditus) circiter post a. 560 valde auctus atque amplificatus est ad textum codicis μ_2; in hunc textum amplificatum iam etiam ex Benedicti regula et cogitationes et lectiones irrepserunt.

Regulae Magistri codices in apparatu critico cancellis seclusi, ut appareret eos non ad RB pertinere; has codicum Magistri lectiones, quae mihi genuinae videbantur, uncinis significavi.

Quale fatum textus regulae habuerit

Ludovicus Traube anno 1898 singulari doctrina monstrare temptavit, quod fatum Benedicti regula habuisset, in illa disputatione: Textgeschichte der Regula S. Benedicti (Abh. der

Königlich Bayer. Akad. der Wissensch., phil.-hist. Klasse XXV 2), cuius alteram editionem anno 1910 curavit Heribertus Plenkers. Multa alii viri docti interim corrigere potuerunt, ut textus historia haec fere fuisse videatur. De exemplari, quod Benedictus ipse conscripserit, nihil dicere possumus. Certe eo vivo exemplar quoddam, ab ispo sive scriptum sive secundum manuscriptum dictatum in coenobio Casinati erat, *cf.* P. Meyvaert, Problems concerning the „Autograph" Manuscript of Saint Benedict's Rule, Rev. Bén. 69 (1959), 3—21. Cuius imaginem etsi accuratissime restituere numquam poterimus, tamen textus a nobis constituti lingua talis est, ut a genere dicendi, quod Benedicti aetate in usu erat, numquam abhorreat, *cf.* A. Mundó, L'authenticité de la regula Sancti Benedicti, Studia Anselm. 42 (1957), 105—158. Etiam Benedicto mortuo non solum coenobium Casiniense augebatur, sed etiam alia monasteria condebantur, ubi monachi Benedicti regulam observabant, ut ex Gregorii Magni epistulis elucet; legimus enim in epist. I 39 de monachis, qui ex Bruttiorum finibus fugerant, in dial. II 22 de monasterio, quod Benedictus iuxta Terracinensem urbem condiderat.

Langobardorum autem incursionibus impeditum est, ne Benedicti monasteria latius diffunderentur. Nam secundum Paul. Diac. Hist. Langob. IV 17 ut ceteri Italiae campi ita etiam Casini regio ab hostibus vastabatur, cum Bonitus, quartus post Benedictum abbas, monasterium Casiniensium regebat. Perpaucas urbes Langobardi occupare non poterant, in ceteris Italiae partibus ecclesiae incendebantur, monasteria diruebantur. Langobardorum dux Zotto Beneventanus etiam coenobium Casiniensium diripuit circiter anno 577, ut monstravit Henricus Suso Brechter, Monte Cassinos erste Zerstörung, StudMitt. LVI (1938), p. 109—150. Sed Paulus Diaconus haec refert: „(Langobardi) nec unum ex monachis tenere potuerunt . . . fugientes quoque ex eodem loco monachi Romam petierunt secum codicem sanctae regulae, quam praefatus pater composuerat, et quaedam alia scripta . . . deferentes". Leo Marsicanus, Chron. Casin. I 2 (PL CLXXIII 491 sq.) adfirmat monachos Casinienses Romae esse receptos in

monasterium Lateranense, quod iam nonnullis annis ante conditum erat. Non tanti autem aestimandum est, cum Gregorius Magnus dial. II 17 obiter narrat Casinates monachos nihil nisi vitam sibi servare potuisse: „ut (deus) . . . animas custodiret".

Per monachos igitur Casinienses in Lateranense coenobium receptos regulae exemplar quoddam optimum (vix a Benedicto ipso scriptum) Roman adlatum est, quod secundum traditionem Casinam postea in Romani episcopi bibliotheca Lateranensi adservabatur.

Credibile enim est Lateranensi monasterio fine saeculi VII. magis magisque pereunte (*cf.* G. Ferrari, Early Roman Monasteries, Notes for the History of the Monasteries and Convents at Rome from the V through the X century, Vaticano 1957, 242—253) exemplar Casiniense in bibliothecam Lateranensem esse translatum. (*cf.* P. Courcelle, Les Lettres Grecques en Occident. De Macrobe à Cassiodore, Bibliothèque des Écoles d'Athènes et de Rome CLIX 1948, 381).

Septimo saeculo omnia fere monasteria, quae in Italia fuerunt, vastata sunt praeter ea, quae Romae et fortasse Ravennae, praeterea autem in septentrionalibus regionibus extabant. Nam etiam Merovingis regnantibus in Gallia erant coenobia, quorum monachi Benedicti regulam sequebantur, cum plerique Columbani atque aliorum regulas observarent (*cf.* A. Zimmermann, Kalendarium Benedictinum, Metten 1933, I, p. XLI—XLVII). Verisimile item est multa coenobia, quae Romae fuerint, non secundum Benedicti regulam esse instituta, ne illud celeberrimum quidem S. Andreae dicatum, in Caelio monte situm, ex quo Gregorius Magnus prodiit, praesertim cum Cassius Hallinger, Papst Gregor der Große und der heilige Benedikt, Studia Anselmiana XLII 1957, 231—319 monstraverit Gregorium Benedicti regulae praecepta vix bene novisse.

Tamen ex Italia initio saeculi VII. illum textum interpolatum, quem dicimus, prodisse verisimile est. Nam is in Gallia legebatur ante Donati regulam circiter inter annos 655—660 scriptam, v. Anscari Mundó, loc. cit. p. 147, not. 126. Idem vir

doctus sicut iam Ludovicus Traube recte observavit summi momenti esse illam epistulam Venerandi, nobilis cuiusdam, qui in vico Altaripa in Aquitania sito monasterium condiderat; hanc epistolam anno 625 ad Constantium episcopum Albiensem directam ex codice Sangall. 917 edidit Ludovicus Traube, Textgeschichte[2] p. 87sq.; in qua Venerandus scripsit: „Regulam sancti Benedicti abbatis Romensis ... in arce sanctae ecclesiae Albiensis recondendam pariterque habendam direximus".

Adiectivum „Romensis" idem valere atque „Romanus" Ludovicus Traube, loc. cit. p. 123sq. nos docuit. Venerandus igitur Benedictum non Casiniensi, sed Romano monasterio praestitisse credidit; dubium non est, quin de Benedicto Romensi locutus sit codice quodam inductus, cui hoc fere inscriptum erat: „Regula a sancto Benedicto abbate Romense edita"; simili enim modo incipit textus in codice Veronensi LII s. VIII/IX fol. 101^{v}, qui fortasse in urbe Verona ipsa scriptus est: „incipit regula a sancto Benedicto Romense edita". Ex eodem igitur subarchetypo, quod in Gallia extitit, provenerunt et Venerandi exemplar regulae et cod. *V*. Pertinet autem cod. *V* ad classem interpolatam, cui inprimis adnumerandi sunt codd. *OSM* (v. infra). Qui tot locis, quos infra proferam, eosdem errores vel lectiones interpolatas habent, ut ad commune subarchetypum redire debeant, cuius scriba faciliores lectiones, quae inde a Benedicti temporibus irrepsissent, susceperit, praeterea autem textum saepissime ipse interpolaverit. Is librarius ignotus quidam debet fuisse, quem hoc opus ecclesia Romana probante inchoasse crediderim. Satis notum est Ludovicum Traube putavisse textus interpolati auctorem fuisse Simplicium, tertium abbatem Casiniensem; quod coniecit ex „Versibus Simplicii", qui in permultis codicibus ante regulam inveniuntur. Qua in re certe erravit; contra Henricus Suso Brechter, Versus Simplicii Casinensis abbatis, Revue Bénédictine XLVIII (1938), 89—135, hos versus in monasterio Divitis Augiae (Reichenau) factos esse contendit; utcumque res se habet, nec sexto nec septimo saeculo compositi sunt; eorum verba Brechter ita restituit:

Qui leni iugo Christi / colla submittere cupis
regulae, sponte da mentem / dulcia ut sapias mella.
Hic testamenti ueteris / nouique cuncta doctrina,
hic ordo diuinus / hicque castissima uita.
Hoc beatus pater Benedictus / constituit sacrum volumen,
suisque mandauit / haec seruanda alumnis.
Simplicius quod famulus / Christi ministerque
magistri latens opus / propagauit in omnes,
una tamen mercis / utroque manebit in aeternum.

Iam Heribertus Plenkers agnovit hos versus nihil valere, cum quaeramus, unde textus interpolatus originem habuerit, ubi subarchetypum codd. *OVSM* scriptum sit. Cum ad hoc non solum *OVSM*, sed etiam Venerandi exemplar et Donati regulae partes redeant, circiter anno 600 iam exstitit. Quod et Venerandus et inscriptio in cod. *V* de Benedicto abbate Romensi loquuntur, verisimile est hoc subarchetypum, hunc textum interpolatum ex urbe Roma provenisse, scilicet ex monasterio Lateranensi. Qua in opinione eo magis confirmor, quod vir doctissimus Anscarius Mundó in Studiis Anselmianis XLII 1957, p. 150sq. ad eandem huius quaestionis solutionem pervenit.

Ex urbe Roma Gregorio Magno auctore, qui ad divulgandam regulam multum praestitit, inde ab anno 596 Christiana religio in Britanniam quoque proferebatur, primum quidem nequaquam a monachis Benedicti ordinis; etiam si ex monasterio Romano S. Andreae in monte Caelio sito ii prodierint, qui primum doctrinam Christianam professi in Britanniam penetraverint, verisimile est eos non Benedicti regulam, sed propria statuta habuisse, quibus coenobium administraretur. Nonnullis annis post Benedicti filii iis videntur successisse, qui Cantuariae (Canterbury) sedem constituebant; inde regula postea in monasterium urbis Worchester pervenit, ubi vetustissimus codex regulae scriptus est, Oxoniensis Hatton 48 (= *O*) s. VIII in. Brevi tempore enim in Britannia multa coenobia secundum Benedicti regulam sunt constituta.

Ineunte saeculo VII., cum ex septentrionalibus regionibus Columbani, ex urbe Roma autem Benedicti regula in diversas Galliae partes irreperent, regulae mixtae sunt compositae, quorum exemplum praebet Donati regula, circiter inter annos 655—660 scripta. Donatus autem initio libere profitetur se Caesarii Arelatensis, Benedicti, Columbani regulas contaminasse „collectis in unum flosculis".

Cum saeculo VII. Langobardorum reges Romanis magis magisque conciliarentur seque ad Christianorum religionem converterent, in Italia multa coenobia extiterunt, ex quibus nonnulla certe Benedicti regulam observabant; ita monasterium Bobbiense a Columbano conditum inde a medio saeculo septimo Benedicti regulam suscepit, *cf.* H. S. Brechter, StudMitt. LV (1937), p. 190. In urbe Roma autem eisdem temporibus vita monastica paulatim extincta etiam Lateranense coenobium interiit. Non ex Romanis, sed ex Gallicis coenobiis abbates sumebantur, cum nova monasteria ut Acutianum (= Farva) in Sabinorum regionibus conderentur, *cf.* Philibertum Schmitz, Geschichte des Benediktinerordens I, 1947, 67sqq. Item saeculo octavo ex Britannia Bonifatius venit, qui Benedicti regulam Germanorum populis adtulit et inter alia Fuldense et Benedictbeuronense monasterium condidit, cum in Germaniam inferiorem ex Aquitania Pirminus transgressus Augiense atque Murbacense monasterium instituit. Usus est Benedicti regula Chrodegangus episcopus Metensis (Metz), cum medio saeculo octavo statuta canonicorum scriberet (= χ).

Dum saeculo septimo et initio octavi regulae textus interpolatus ita diffunditur, ille codex, quem monachi Casinienses anno 577 Romam adtulerant, in scrinio Lateranensi latuit. Cum ineunte saeculo octavo in Casinatis monasterii ruinis nonnulli consedissent, qui anachoretarum more vivere vellent eosque Petronax quidam Brescensis circiter anno 717 in coenobii ordinem collegisset pauloque post Willibrordus Britannus viros eodem modo collectos ad Benedicti regulam servandam impulisset, Zacharias papa (741—752) Casiniensibus exemplar Benedicti regulae ex scrinio Lateranensi dono dedit, Paul. Diac. Hist. Lang.

VI 40. Ita medio octavo saeculo ille textus Roma Casinum revertit ibique plus centum annos iacuit.

In manibus habuit hoc exemplar ineunte anno 787 Carolus Magnus, cum in Italiam duceret et monasterium Casiniense visitaret. Iam tum et ecclesiae et monasteriorum institutiones consuetudinesque renovare ac reformare in animo habuit; a comitibus rei peritis certior factus vidit regulae textum, qui in Gallia in usu esset, multum differe ab hoc exemplari Casiniensi. Domum reversus epistulam scribendam curavit ad abbatem Casinatem Theodemarum, qua postulavit, ut exemplar accuratissime exararetur sibique textus genuinus Aquisgranum (Aachen) mitteretur. Extat in multis codicibus epistula Theodemari ad Carolum Magnum directa, a Paulo Diacono abbatis iussu scripta, (v. K. Hallinger - M. Wegener, CCM I 1963, 139—175 et J. Neufville, L'authenticité de l',,Epistula ad regem Carolum de monasterio sancti Benedicti directa et a Paulo dictata", Stud. Monast. XIII, 1971, 295—309), quam una cum codice exarato imperatori miserat. Quis regulae textum exaraverit, non commemoratur; hunc quoque laborem Paulum Diaconum suscepisse verisimile est vulgoque creditur, *cf.* Traube, Textgeschichte, p. 31. Item verisimile est eum eadem scriptura Carolina scripsisse, quam praebet Cod. Leninopolitanus F. v. I. N. 7, qui fortasse Pauli Diaconi manum monstrat (v. Olga Dobiaš-Roždestvensky, La main du Paul Diacre sur un codex du VIIIe siècle envoyé à Adalhard, Mem. stor. Forogiuliesi 25, 1929, 129sqq.). Si res ita se habet, exemplar Aquisgranense facile erat lectu. Certe Carolus Magnus id egerat, ut regularum textus corrigerentur secundum hoc exemplar Aquisgranense. Quo in studio summo opere adiutus est mox a Benedicto Anianensi. Quo impulsore multae regulae corrigebantur, ut infra ostendam. Ita centum fere annos egregia regulae exemplaria eiusdem fere textus, apographon scilicet utrumque, et Montiscasini et Aquisgrani erant.

Sed cum anno 883 Sarazeni Casino appropinquarent, monachos Casinienses Teanum inter Casinum et Capuam situm fugisse cum regula Leo Ostiensis I 48 refert, qui haec commemorat: ,,iam

septimus abbatis huius (Ragemprandi) annorum circulus volvebatur, cum incomprehensibili dei iudicio monasterium quo in Teano fratres degere ceperant, ab igne crematum est; ubi etiam et regula, quam beatus Benedictus manu sua scripserat, nec non et . . . plurima cenobii huius munimina atque praecepta . . . eidem monasterio collata pariter incensa sunt". Quod circiter anno 886 factum esse ex codice Monacensi 4623 enucleavit sagacissime Paulus Meyvaert, Problems concerning the "Autograph" Manuscript of Saint Benedict's Rule, Revue Bénédictine LXIX (1959), 1 sqq. Idem vir doctissimus etiam de hac quaestione optime egit: Usque ad saec. XVIII ex. in monasterio Casiniensi servatum erat folium quoddam ultimum regulae capitulum continens; multi credebant ultimum codicis a Zachario papa dono dati folium flammis ereptum hoc esse (*cf.* A. Lentini, S. Benedetto, La Regola, p. LXV, not. 1). Paulus Meyvaert autem collectis omnibus scriptorum locis, quibus de hoc fragmento iam deperdito agitur, hanc opinionem vanam esse ostendit; ceterum iam Ioannes Mabillon eo examinato egregie scripserat: „In sacrario Casinensi extremum caput Regulae, quod propria manu sancti Patris exaratum dicunt, et pondera panis et vini asservantur: sed haec non videntur tantae antiquitatis" (Iter Italicum, Museum Italicum I 1687, p. 121).

Hoc exemplar igitur, quocum certa textus historia incipit, non Benedicti autographum quidem, sed apographum Casiniense optimum, Romam translatum, Zacharia papa auctore Casinum reversum, anno 886 prope Teanum totum periit; sed periit per optima exemplaria, quae ex eo transscripta erant, in saecula duraturum.

De codicibus

I. De codicibus classis purae

a) Codices, qui ex exemplari Aquisgranensi provenerunt

Dividuntur vulgo codices manuscripti in tres classes: puram, interpolatam, textus recepti. Sed vere puri mihi solum illi codices

videntur, qui ex exemplari prope Teanum igne consumpto fluxerunt. Deperditus est ille codex, quem a Theodemaro iussus Paulus Diaconus ex eo exaravit, ut mitteretur Aquisgranum, et qui aliquamdiu in monasterio vicino Indae erat expositus. Exarata autem ex illo erant et Grimalti Tattonisque autographum, ex quo codicem *A* transscriptum putaverim, nisi is ipse eorum autographum habendus est, et Benedicti Anianensis exemplar, ex quo codicis *C* regula eiusque textus sumpti sunt, qui extat in Smaragdi commentario (= σ). Ceteri autem codices classis purae, qui ita exorti sunt, ut exemplar quoddam interpolatum secundum Benedicti Anianensis apographum corrigeretur, iam plus minus contaminati sunt, etiamsi ad textum constituendum permultum valent, ut codd. *BTD*.

A = Sangallensis 914, s. IX^{1}., fol. 136, minuscul. Caroling., 237×167 (170×112). Continet fol. 1—86^{v} (fol. 87 avulsum) Benedicti regulam, lin. 18; fol. 88—90 epistulam Theodemari abbatis (vel potius Pauli Diaconi, v. I. Neufville, SM 13, 1971, 295—309) ad Carolum Magnum directam, lin. 23 (CCM I p. 157—175; fol. 90^{v}—98) capitulare monasticum anni 817, fragmenta regulae Fructuosi, alia, lin. 21; fol. 98^{v}—110 (paginarum numeri 187—233 falsi sunt, cum a 204 transeatur ad 218) epistulam Grimalti Tattonisque ad Reginbertum magistrum missam, lin. 26; fol. 110—136 martyrologium Hieronymianum et calendarium.

Regulae igitur adiecta sunt alia scripta, quae ad Grimalti Tattonisque laborem partim pertinent, ex quorum numero summi momenti est epistula ad Reginbertum una cum regulae textu missa. Nam illi duo monachi iuvenilibus annis ab abbate Divitis Augiae (Reichenau) a. 817 Indam missi sunt, ut ibi se studio vitae monasticae dederent et regulam domi usitatam corrigerent. Qui plus fecerunt; nam exemplar Aquisgranense totum descripserunt, alia regulae exemplaria contulerunt, in textu ipso et in margine adnotaverunt, cum verba eorum non concordarent, accuratius initio, neglegentius post dimidiam partem regulae. De hoc labore rettulerunt in epistula: „ecce vobis regulam beati Benedicti egregii doctoris, quam benivolus animus vester summo semper optaverat

desiderio, direximus, sensibus et sillabis necnon etiam litteris a supro dicto (*sic*!) patre ni fallimur ordinatis minime carentem. Quae de illo transscripta est exemplare, quod ex ipso exemplatum est codice, quem beatus pater sacris manibus suis exarare ob multorum sanitatem animarum curavit. Illa ergo verba, quae supradictus pater secundum artem sicut nonnulli autumant, in contextum regulae huius non inseruit, de aliis regulis a modernis correctis magistris colleximus et in campo paginulae e regione cum duobus punctis inserere curavimus. Alia etiam, quae a Benedicto dictata sunt et in neotericis minime inventa, oboelo et punctis duobus consignavimus. Hoc egimus desiderantes vos utrumque et secundum traditionem pii patris etiam modernam habere; eligite vobis, quod desiderabili placuerit animo". Scriptus videtur textus regulae ab eodem librario (non a duobus aut pluribus), qui etiam litteris parvulis et tenuibus notas marginales adiecit (*cf.* Heriberti Plenkers Untersuchungen zur Überlieferungsgeschichte der ältesten lateinischen Mönchsregeln, 1906, p. 29sqq.). Valde est dolendum, quod codicis textus iam saeculo IX. ex., ut videtur, praecipue autem s. XV. et XVI. diversis manibus crudeliter depravabatur, cum verba et litterae eraderentur, alia supra lineas scriberentur; ita enim saepe primam manum vix agnoscimus.

Quaeritur autem, cuius prima manus fuerit. Grimalti certe non est; num Tattonis, valde dubitari potest. Praeterea si et regulae textus et adnotationes marginales ab eadem manu scripti sunt, quomodo laborem codicis conficiendi Grimaltus et Tatto inter se partiti erant, cum secundum epistulae ad Reginbertum directae verba ambo ad autographum laborem suum inpendissent? Quibus de quaestionibus ipse fusius egi in disputatione „Die Benediktinerregel im CSEL", Studia Anselmiana XLII (1957), 166sqq., ubi dixi etiam Grimalti Tattonisque autographum esse deperditum, codicem Sangallensem 914 esse exemplar autographi eorum. Si *A* autographum esset, quomodo ex Divitis Augiae monasterio in Sancti Galli pervenire potuit? Etsi negandum non est fratres Grimalti Tattonisque novum textum non multum amavisse, tamen fieri vix potuit, ut Grimaltus, cum anno 840

abbas monsterii S. Galli creatus esset, Tatto autem abbas Divitis Augiae, autographum ex bibliotheca Augiensi sibi auferret. Praeterea alia indicia inveniuntur, ex quibus concludi potest, codicem *A* apographum, non autographum Grimalti Tattonisque libri anno 817 confecti esse. Quare enim cap. XXXI 16 = Sangall. 914, fol. 44, lin. 49 (*cf.* editionem Germani Morin a. 1900 editam) primum scriptum erat „aliquo", cum subito ab eodem librario syllaba „quo" erasa et initio lineae 50 posita est? Quare idem egit aliis locis, ut cap. LXIII 2sq. = Sangall. 914, fol. 75, lin. 11, ubi, postquam „aliquid sed" scripsit, vocem „sed" erasit et initio lineae insequentis posuit? Verisimile est librarium ideo ita fecisse, ut imaginem linearum autographi accuratissime redderet. Foliorum quoque imaginem servare in animo certe habuit; quo proposito inde a fol. 45^{v} (in cap. XXXIIII) ex improviso desistere debuit, quod ea membrana tam tenuis fiebat, ut in folio verso sine magno periculo atramenti ac scripturae sex lineis scriptis pergere non posset. Si Grimaltus Tattoque exemplar Aquisgranense eodem modo velut photographice depinxissent, in epistula Reginbertum certiorem fecissent, cui ceteras manuscripti rationes tam accurate ostenderunt. Codicem Sangallensem 914 ex eorum autographo esse descriptum ostenditur etiam erroribus, qui pertinent et ad textus scripturam et ad adnotationes marginales, ut cap. XVII 5 = Sangall. 914, fol. 32, lin. 17sq.:

dem : ^{h}orarum ter : nos psal~~mi~~ : h : ni : ~~mi~~
: mos lectio ÷ ne & uersu : quirie : mi : s

Cf. etiam cap. VII 41 = p. 22^{r} lin. 13: osten~~dat~~ | dat

Codicem Sang. 914 apographon esse eo quoque elucet, quod cap. 60, 9 sta : uitatem puncti significativi positi quidem sunt, sed adnotatio correctiva omissa est (*aliter* cap. 61, 5 sta : uilitatem, *et* bi *a in mg*!).

Quae correcturae vix explicari possunt, nisi concedimus librarium codicis *A* etiam notas marginales in eo textu vidisse, ex quo suum exaravit.

Extant praetera in textu ipso multi errores non correcti,

quos collegit Heribertus Plenkers, StudMitt. XLVII (1929), 183sq.; ex quorum numero hos proferam: XXXV 1: utilitatis *om.*; XXXXVIII 22 omnes *om.*; LIII 7: corpo/ (*om.*: re); LIII 15: xps/ (*om.*: sus) cipitur; LIIII 5: regula (*om.*: ri); LV 16: frequenter *om.*; LXI 5: quia *om.*; LXIIII 22: sua *om.*; LXXIII 3: uitae *om.* Inprimis autem Grimalto Tattonique non imputaverim receptam lectionem interpolatam LXV 6: „ab ipsis est ordinatus" pro genuina: „ab ipsis es et tu ordinatus".

Etsi igitur codicem *A* pro exemplari ex autographo Grimalti Tattonisque exarato habeo, tamen longe praestantissimus omnium codicum manuscriptorum est, sicut post Ludovicum Traube monstravit Christina Mohrmann, La Latinité de Saint Benoît, Revue Bénédictine LXII (1952), 108—139, et in introductione in editionem regulae curatam a Philiberto Schmitz (Maredsous 1955), p. 9—39.

$a = Amg =$ adnotationes marginales in codice *A*, parvis litteris Caroling. scriptae, quae certe non correcturae vel emendationes textus existimandae sunt, sed variae lectiones (v. 7, 43: falsos fratres sustinent et persecutionem sustinent *a*). Ioannes Neufville, La Règle de Saint Benoît I p. 323sq., autem putat, has adnotationes non a monachis Grimalto et Tattone, sed a Paulo Diacono adiunctas fuisse et iam in exemplari Aquisgranensi extitisse; hoc credere non possum. Si Carolus Magnus apographon codicis Casiniensis fieri iussit, quomodo Paulus audere potuit regis verbis non obtemperare, sed textum genuinum miscere cum aliis lectionibus? Quare, si monachus Casiniensis ita fecisset, nihil commemoratum est in epistula Theodemari (vel potius Pauli Diaconi) ad Carolum Magnum directa, praesertim cum emendationes S. Gregorii epistularum accurate indicaret ille Paulus (Diaconus) supplex in epistula ad Adalhardum destinata? Praeterea, quae scripserunt Grimalt et Tatto ad Reginbertum: „illa ergo verba . . . de aliis regulis a modernis correctis magistris collegimus" non aliter interpretari licet ac dicta sunt. Difficile quidem imaginari possumus, quos codices interpolatos Grimalt et Tatto habuerint. Sed fortasse ab aliis fratribus, qui tum Indae mora-

bantur, exemplaria sumpserunt aut ex vicinis monasteriis conportaverunt neque aliter contulerunt ac postea Lupus de Ferrières fecit (*cf.* Traube—Plenkers p. 77). Ubi igitur in codice *A* adnotationes marginales aut in textu ipso obeli aut duo puncta inveniuntur, plerumque persuasum habebimus Grimaltum Tattonemque textus lectionem ita in codice Aquisgranensi vidisse, etsi interdum haec lectio falsa est. Ita VIIII 5 illi monachi ex manuscripto Aquisgranensi hunc errorem exaraverant: „legantur uicissim a fratribus in codices (*littera* s *diplographia orta*!) super analogium tres lectiones" et litteram s obelo delendam ostenderant. XXXXII 8 cod. *A* solus fere falsam lectionem „de uno" praebet, quae ex codice Aquisgranensi exarata erat; id eo monstratur, quod „denuo" in margine adpositum est.

In epistula sua autem Grimaltus Tattoque adfirmant se „illa . . . verba, quae . . . pater secundum artem, sicut nonnulli autumant, in contextum regulae huius non inseruit, de aliis regulis a modernis correctis magistris" sumpsisse. Et res ita se habet; nam compluribus codicibus usi lectiones, quae a codice Aquisgranensi differebant, sumpserunt. Adhibuerunt igitur codicem quendam, qui similis erat Sangallensis 916 (= *S*), *cf.* XXXXIX 3: pariter et neglegentias . . . diluere] pariter sordes et neglegentias . . . diluere α; *S*; sed non habuerunt secum codicem *S* ipsum. Sumpserunt lectiones interpolatas etiam ex codice quodam, qui ad familiam Narbonensium-Hispanorum pertinebat, *cf.* IIII 50: patefacere] satisfacere α; δ; $H_{2.4}$. Saepius lectiones marginales spectant ad codicem Vat. 5419 (= *b*, Beneventanum), *cf.* II 24: id est *om.* α; *b*; VII 16: et *om.* α; *b*; XVI 5: matutinis] ut matutinis α; *b*. Interdum notae marginales in perpaucis, interdum in uno codice tantum reperiuntur, interdum in nullo, *cf.* IIII 57: sua] *del.* α, nullo codice teste. Errores etiam extant in quibusdam adnotationibus, exempli causa cum librarius XXVIII 3, ubi *A* „plagarum" praebet, non lectionem interpolatam „plagas", sed „plagis" in margine posuit, vel cum LXX 4 pro lectione interpolata „infantibus" posuit „infanti". Postremo est observandum capitulorum indicem notis marginalibus plane carere.

Codex *A* summa cura typis redditus est in editione Germani Morin, Montiscasini 1900.

B = Vindobonensis Bibl. Nationalis 2232 s. IX in. (circiter a. 810), fol. 104, litteris minusc. Caroling., 20—21 lin., 195×125 (150×105/110). Continet Benedicti regulam, fol. 2v—62r, epitomen canonum conciliorum, inter quos est etiam capitulare Baiuvaricum ante a. 810 compositum, fol. 63v—84, interrogationem Rustici episcopi Narbonensis et responsiones papae Leonis Urbis Romae, fol. 84—89, excerpta ex patribus, fol. 89—92, Caroli Magni admonitionem generalem anni 789, fol. 92—104. Compositus est codex ex duabus partibus olim separatis, fol. 2—61 et 62—104, quae saeculo XV. in unum librum contextae sunt. Pars prior erat codex catenatus, in quo regulam sequuntur versus Simplicii, poenitentiale quoddam monasticum, subscriptio, praecepta, quomodo novi fratres suscipiendi sint, fol. 60—61v. Utraque pars autem scripta est ab eodem librario in eodem scriptorio.

Ubi hic codex scriptus sit, unde in bibliothecam Palatinam Vindobonensem venerit, non plane liquet. Egerunt de his quaestionibus praeter Ludovicum Traube et Heribertum Plenkers viri docti B. Paringer, Cod. lat. Vindob. 2232, StudMitt. LVIII (1940), p. 68—81, Henricus Suso Brechter, Schriftprovenienz und Bibliotheksheimat des Codex lat. Vindob. 2232, StudMitt. LVIII (1940), p. 82—106, ego ipse, Herkunft und Text der ältesten Handschrift der Regula Benedicti in Österreich, Wiener Studien LXX (1957), p. 117—130. In scriptorio Divitis Augiae regulam esse exaratam putavit Henricus Suso Brechter, in Baiuvarico monasterio Weltenburgensi ego ipse. Regulam in monasterio quodam Baiuvarico scriptam esse monet iam illud capitulare Baiuvaricum, alteri codicis parti ab eodem librario insertum. Utcumque res se habet, ex praefatione codicis cuiusdam, qui Augustae Vindelicorum in bibliotheca urbana adservatur insignitus 2° cod. 200 s. XV., continens regulam, praeterea ex codice Einsidlensi nr. 662 s. XV (ambo ex codice *B* exarati) satis elucet codicem *B* aliquando in oppido, quod Altaha inferior (Niederaltaich) nominatur, in monasterio sancti Mauri iacuisse, deinde

Cellam Mariae (Klein-Mariazell) prope Aquas (Baden) in Austria inferiore sitam esse translatum a primo huius monasterii abbate Azelino; ibi codice usus est Ioannes Schlittpacher, anno 1434 magister scholarum Melicensium (Melk), cum vitae monasticae reformandae causa meliorem regulae textum conficeret. Cum codicis *B* fol. 104v signaturam N 4036 manu Hugonis Blotii scriptam praebeat, qui inde ab anno 1575 bibliothecae Vindobonensi Palatinae praesidens anno 1576 imperatori Maximiliano II. catalogum librorum a se confectum proposuit, codicem *B* iam ante annum 1576 in hanc bibliothecam venisse apparet.

Quaerendum autem est, quomodo prior pars, continens regulam, orta sit. Ipse loc. cit. p. 122 monstravi regulae textum non ex codice Aquisgranensi esse exaratum. Immo regula quaedam depravata, quae ad familiam *OVSM*, praecipue autem ad subarchetypum cod. *S* adtinebat, secundum Aquisgranense exemplar accurate plerumque correcta, deinde ita emendata a librario quodam indocto ad codicem *B* transscripta erat; qui librarius summa quidem cura scripsit, interdum autem pessimas formas non agnovit, cum LXIII 2 pro „liuera utens" praeberet „liber aut", cum LXIII 7 „quos ut" deformaret ad formam „ux". Additamenta, quae posita sunt in codice *B* post regulae finem fol. 59v—61v, versus Simplicii, poenitentiale non fortuito extant etiam in codice Sangallensi 916 (= *S*), non quod in eodem scriptorio orta sint, sed quod ad eundem fontem redeunt.

C = Monacensis Bibl. Nationalis 28.118 s. IX., fol. 216, litt. minusc. Caroling., binis columnis, lin. 36, 418 × 328 (347 × 262). Est codex regularum Benedicti Anianensis († 821). Cum fol. 1 notatum sit: „codex sci Maximini", eum Augustae Treverorum (Trier) iacuisse apparet. Inde anno 1844 eum emit Iosephus ab Goerres; oculis aliorum ita sublatus iterum provenit anno 1902, sub hasta venditus ex hereditate eiusdem Ioannis ab Goerres, emptus a Ludovico Traube atque bibliothecae Monacensi incorporatus, v. Heriberti Plenkers Untersuchungen zur Überlieferungsgeschichte, p. 3sqq. Elaboravit Benedictus Anianensis primum „concordiam regularum", in qua interpolato exemplari

regulae usus erat. Ante s. Corneli monasterium (Cornelimünster) conditum (anno 814) composuit codicem regularum (*cf.* J. Hofmann, Revue Bénédictine LXI 1951, p. 149), in quo primum locum Benedicti regula obtinet, fol. 1—18^{r}, col. I. Dubium non est, quin Benedictus Anianensis ex exemplari Aquisgranensi regulam sibi descripserit aut describendam curaverit, priusquam codicem regularum composuerit. Huius apographi, quod Anianensis episcopus possedit, vestigia non solum extant in codicis regularum textu, sed etiam in eo commentario, quo Smaragdus, Benedicti Anianensis amicus, regulam explicavit (= σ). Qui textum regulae codicis *C* comparaverit cum textu, qui commentario σ insertus est, voces plerumque concordare, interdum autem etiam diversas esse cognoscet; nonnumquam Smaragdus etiam meliora praebet, ex Benedicti Anianensis textu ipso sumpta. Nam hic certe melior erat quam codex *C*. Extant praeterea multi codices, in quibus capitulorum index ad hoc Benedicti Anianensis exemplar redit, quorum vetustissimus est codex Augustanus *D*, paulo post annum 800 scriptus. In quo ut in codice *C* capitulorum textus interdum valde amplificatus est, *cf.* cap. XXXVIII: de ebdomadario lectore] de ebdomadario lectore ac silentio ad mensam absque lectore aut priore *CD*; σ; *L*, *alii*; cap. XLII: ut post completorium nemo loquatur] ut post completorium nemo loquatur sed post cenam ad lectionem audiendam ab omnibus occurratur, *CD*; σ; *L*, *alii*. Benedicti Anianensis textum circiter inter annos 790—800 scriptum esse putaverim (*cf.* sub cod. *T*), codicem *C* in Corneli monasterio s. IX. in. — Regula Benedicti extat fol. 1^{r}—86^{v}.

Quomodo *C* Augustam Trevirorum venerit, non satis certum est; eum a Benedicto dono esse datum Helisachar, abbati monasterii sancti Maximini eiusque amico, adfirmavit O. Seebass, Über das Regelbuch Benedikts von Aniane, Zeitschrift für Kirchengeschichte XV (1895), p. 253. Certe codex *C* non unicum exemplar codicis regularum fuit, sed unum ex compluribus, quae mox perierunt. In cod. *C* hiat lacuna inde a cap. LV 18 usque ad LXIII 13, quae suppleri potest opitulante codice

U = Ultraiectano (Utrecht) Bibl. 361, fol. 2^{r}—32^{v}, qui

secundum subscriptionem p. 341v: „completum volumen istud Treveris . . . anno domini 1471“ ex cod. *C* accurate transscriptus est, si ad orthographiam non respicimus.

σ = Smaragdi textus, quem ille abbas monasterii s. Mihieli prope Verodunum (Verdun) siti expositioni regulae ante annum 820 confectae subiecit. Huius „expositionis in regulam Sancti Benedicti“ editionem Alfredus Spanngel Vindobonensis elaborare coepit, Pius Engelbert egregie perfecit (CCM VIII 1974), quorum lectiones in apparatu critico meo suscepi.

T = Monacensis 19.408, olim Tegernseensis, s. VIII ex., fol. 2v—62r, lin. 19, litt. minusc. Caroling., 170×100 (145×78/85). Textum foliorum 1 et 59 iam dudum perditorum supplevit manus s. XI = T^3, quae etiam inde ab initio textus correcturas inseruerat. Codex ipse non a duobus librariis, ut Ludovicus Traube censuerat (loc. cit. 54sq.), sed ab uno scriptus est, ut vidit Bernardus Bischoff, Die südostdeutschen Schreibschulen und Bibliotheken in der Karolingerzeit, tom. I: Die Bayrischen Diözesen (1960²), p. 154sqq. Idem vir doctissimus librarium nomine appellare potuit: erat Dominicus, de quo luculente egit Romualdus Bauerreiss, Dominicus, der Schreiber der Tegernseer Regelhandschrift, StudMitt. LXI (1947/48), p. 46—52: Dominicus presbyter erat virginis Mariae ecclesiae prope ripam fluminis, quod dicitur Rota („zwischen Roth und Glonn“, p. 52). Dubium mihi non est, quin ille librarius tunc celeberrimus codicem monachis Tegernseensibus transscripserit ex exemplari quodam interpolato, quod correctum erat secundum optimum quendam codicem; sed lectiones classis interpolatae Dominicum adhuc in exemplari describendo videre potuisse puto. Ita enim evenit, ut pr. 39sq. primum interpolati exemplaris verba exararet: „audiuimus habitandi praeceptum. Sed si conpleamus habitatoris officium erimus heredes regni caelorum“ (si Eduardo Wölfflin credimus, qui in editione sua a. 1895 affirmat se remediis chemicis adiutum litteras e. . .'h. .ede. . . .ni. . . . . . .vidisse; hodie oculis meis nihil aliud videre potui nisi vocem „ergo“ supra rasuram scriptam), deinde autem ultimis vocibus interpolatis erasis Benedicti genuina verba transferret: „audivimus

habitandi praeceptum. Sed si conpleamus habitatoris officium. Ergo praeparanda sunt . . .". Qua de re egregie disseruit Henricus Suso Brechter, Die Münchener Regelhandschrift aus dem karolingischen Tegernsee, StudMitt. LX (1946), p. 38—52. Eodem modo permultis aliis locis lectiones interpolatae, quae extant in codice *T*, melius explicari possunt, quam si Dominicum interpolati textus recordantem eius lectiones adsumpisse credamus, ut IV 66; VII 12; XXXIII 6.

Quaerendum autem est, utrum textus interpolatus secundum exemplar Aquisgranense correctus sit an iam secundum aliud optimum exemplar. Codex *T* regula finita hanc subscriptionem praebet: „Codex peccatoris Benedicti. ve mihi misero habenti contrariam mihi rem. qui reus sum in his omnibus, quia adversantur moribus meis malis. tu vero bonorum lector, dum his tuam videris vitam commendare praeceptis, orans pro scriptore codicem redde domino suo". Peccatorem Benedictum esse Benedictum Anianensem iam Ludovicus Traube statuit loc. cit. p. 68 sqq. Cum autem eandem subscriptionem codex *C* post Benedicti regulam ostendat (*cf.* H. Plenkers, loc. cit. p. 7), Tegernseensium vetus exemplar interpolatum correctum erat secundum Benedicti Anianensis textum, non secundum Aquisgranensem ipsum. Quare Benedictus Anianensis exemplar suum ex Aquisgranensi exaraverat et divulgaverat paulo post annum 790, cum Dominicus ex eo iam lectiones transferre posset.

D = Augustanus (Augsburg) bibl. ordinariatus episcopalis 1 (sive Faucensis), s. IX in., fol. 84, litt. minusc. Caroling., 216 × 142 (170 × 105). Continet fol. 1—16 martyrologium s. XI; fol. 17—84 regulam. Desunt cap. XXXV 17 (benedictione) — XXXIX tit. et LVII 6 (anima) — LVIII 28 (rebus); ad ea capitula explenda codici inserta sunt folia 54 et 55, item 61 et 62, quae scriptura carent. Bis numeratum est fol. 60. Mutatus est ordo foliorum 81 et 82, ut textus folii 82 ante textum folii 81 legatur.

Scriptus videtur in scriptorio Benedictbeuronensi, *cf.* Bernardus Bischoff, Die südostdeutschen Schreibschulen, p. 38 sq. Ceterum lectionibus codicis *D* similis est textus cod. Monacensis

4567, qui certe scriptus est (ut apparet ex fol. 57[r]) a monacho Benedictbeuronensi. Ex eodem scriptorio prodiit fragmentum Monacense 6333 scriptum circiter anno 800, in quo eodem modo quo in cod. *D* textus quidam interpolatus correctus erat secundum exemplar quoddam classis purae.

Adservabatur autem codex *D* in monasterio Baiuvarico St. Mang apud vicum Faucensem (Füssen) prope Tyroliae fines situm. Cum anno 1803 Baiuvarica coenobia dissolverentur, Aemilius Hafner, abbas Faucensis, codicem primo ad matrem suam, quae in Tyroliae vico, qui Reutte dicitur, habitabat, transtulit, deinde autem Placido Braun, rerum scriptori Augustano adservandum commisit, postremo bibliothecae episcopalis ordinariatus Augustae Vindelicorum dono dedit, *cf.* Benedictus Kraft, Die Handschriften der bischöflichen Ordinariatsbibliothek in Augsburg (1934), p. 9sqq.

Textum autem codicis *D* originem ab exemplari quodam interpolato duxisse iam inde apparet, quod ei prol. 40—50 desunt sicut codd. *OVSM*. Hoc exemplar interpolatum, ut ex indice capitulorum amplificatorum apparet, secundum Benedicti Anianensis textum correctum est. Complures manus correctrices eum peiorem reddiderunt.

G_{1-4}: Textum purum cum Grimaltus Tattoque monasterio Divitis Augiae donavissent, monachi nequaquam laetis animis acceperunt, quod regulam interpolatam sermoni elegantiori magis convenientem iamdudum adamaverant ac memoria tenebant; sed textum corrigere iussi mediam viam ita tenuerunt, ut regulam contaminatam sibi conficerent hoc modo, ut lectiones „magistrorum modernorum", quas Grimaltus Tattoque margini exemplaris sui adscripserant, in textum reciperent. A tali exemplari Divitis Augiae contaminato nonnulli codices originem duxerunt, ex quibus per saecula duraverunt hi:

G_1 = Sangallensis 915, codex regularum, fol. 353 vel potius 354, litt. minuscul. Caroling., lin. 24, 240×185 (185×150), in quo Benedicti regula continetur fol. 27—127, s. IX med., *cf.* Antonius Bruckner, Scriptoria medii aevi Helvetica III, p. 122;

sequuntur regulae S. Augustini, Pauli et Stephani, Columbani, regula coenobialis, regulae SS. patrum Serapionis, Macharii, Pafnutii, alterius Macharii, cronica brevis, calendarium festorum, calendarium obituum. In monasterio S. Galli est scriptus.

G_2 = Augiensis (Reichenau), nunc Caroliruhensis CXXVIII s. IX, fol. 102, litt. minusc. Caroling., lin. 20, 283×206; continet Benedicti regulam, fol. 2—71, lacuna 16 foliorum mutilatam, ut paragraphi prol. 1—I 10 partim manibus posterioribus (𝔊, s. XIV—XV) scriptae sint; sequuntur martyrologium Hieronymianum fol. 72—96^{v}, absolutiones capitulares, fol. 97—98^{v}, commemoratio Karoli Crassi imp. apud Augienses fol. 99—102, *cf.* A. Holder, Die Reichenauer Handschriften I (1906), 313—320.

G_3 = Turicensis (Zürich) bibl. cantonalis, Rh. hist. 28, s. IX^{3}, fol. 192, litt. minusc. Caroling., lin. 22, in quo regula Benedicti continetur fol. 4^{v}—46, 215×159; sequuntur Columbani, Augustini, Pauli et Stephani regulae et varia monastica fol. 47—126^{v}, martyrologium fol. 127—154^{v}, necrologium monasterii Divitis Augiae fol. 155—167^{v}, homiliae fol. 168—192^{v}, *cf.* L. K. Mohlberg, Katalog der Handschriften der Zentralbibliothek Zürich I (1952), p. 258; A. Bruckner, Scriptoria medii aevi Helvetica IV, p. 38. Qui codex in scriptorio Divitis Augiae exaratus ibi iacuit usque ad s. XVIII. ex.; tunc eum ex bibliotheca mutuavit Mauritius Hohenbaum van der Meer, a quo monasteriis dissolutis in Turici bibliothecam venit.

G_4 = Turicensis bibliothecae cantonalis, Rhenanus 111 s. IX^{4}, fol. 105, lin. 18, litt. minusc. Caroling., 175×125. Scriptus est in monasterio Rhenano (Rheinau), continet Benedicti regulam fol. 1—68^{v}, deinde vetustissimos hymnos Rhenanos, *cf.* L. K. Mohlberg, Katalog I, p. 214; A. Bruckner, Scriptoria medii aevi Helvetica IV, p. 42sq.

b) Codices, qui ad antiquissimum exemplar Casiniense pertinent

Mox etiam primi commentatores iam totum textum aut partes explicare coeperunt, *v.* Kassius Hallinger, Ein Kommentar-

fragment zur Regula Benedicti IV, Wien. Stud. 82, 1969, 211—232; anno circiter 820, ut diximus, Smaragdus commentarium composuit secundum abbatis Anianensis exemplar; deinde in Gallia Hildemarus monachus regulam in schola saeculo nono medio interpretatus est; ex eius disputationibus autem fluxerunt et Ps. Diaconi commentarius in monasterio Casiniensi fortasse compositus et expositio regulae (ab Hildemaro tradita) quam typis expressit R. Mittermüller anno 1880, et commentarius Basilii, quem egregie edidit Wolfgangus Hafner Engelbergensis, Der Basiliuskommentar zur Regula S. Benedicti, Beiträge zur Geschichte des alten Mönchtums und des Benediktinerordens XXIII 1959. Quibus tribus commentariis plus minus inter se diversis adiecti sunt regulae textus, qui cum commentariis non semper plane concordant.

Inprimis de regulae textu, qui Casiniensi commentario adhaeret, certatur, utrum originem duxerit a Benedicti autographo, ut putaverunt Ludovicus Traube p. 84 et Germanus Morin in editione Casiniensi anni 1900, an ex exemplari Aquisgranensi, ut adfirmavit Henricus Suso Brechter, StudMitt. LV (1937), 206sqq. Ut ipse putaverim, effluxit ex apographo a Zacharia papa Casiniensibus monachis donato sed iam varie depravato. Extat in his codicibus:

175 = Casiniensis 175 (*cf.* Dom. T. Leccisotti, A proposito di antiche Consuetudini Cassinesi, Benedictina 10 [1956], 329—338), Capuae scriptus sub Ioanne abbate (915—934), fortasse anno 918/20 (dum Casinienses monachi iterum expulsi Capuae morantur), pag. 589, scriptura Beneventana, binis columnis, lin. 27, 295×225 (225×165). Continetur regula cum commentario pag. 3—506: *cf.* W. Hafner, Paulus Diaconus und der ihm zugeschriebene Kommentar zur Regula S. Benedicti, Studia Anselmiana 42 (1957), 347—358; sequuntur monastica ut capitulare Aquisgranense a. 817 et epistula Pauli Diaconi ad Carolum Magnum imperatorem directa, *cf.* M. Inguanez, Codicum Casinensium manuscriptorum catalogus (Montiscasini 1918) I, p. 258sqq. Codicis *175* textus non multum distat a textu Taurinensis (Torino) bibliothecae nationalis universitariae G V 4 s. IX/X, fol. 200, 245×180 (175×135),

lin. 29. Codicis *175* aliorumque codd. Casiniensium lectiones contuli cum editione Germani Morin, cum Romae in monasterio s. Hieronymi (S. Girolamo) iacerent. De aliis Ps.-Diaconi commentarii manuscriptis *cf.* W. Hafner, Der Basiliuskommentar, p. 37—46.

352 = Casiniensis 352 s. XI, exemplatus ex cod. *175*.

Verisimile est textum regulae adpositum Ps.-Diaconi commentario transscriptum esse ex codice quodam, quo Casinienses utebantur. Ex hoc, non ex commentarii *175* verbis exarati sunt codices, qui Benedicti regulam solam continentes in scriptorio Casiniensi confecti partim ad vicina monasteria destinati erant, velut codd. *179* = Casiniensis 179 s. XI., fol. 130, scriptura Beneventana, 238×173 (200×120), qui post martyrologium Bedae presbyteri et homiliarum fragmenta continet regulam fol. 61v—115v, deinde monumenta ordinis monastici. Scriptus est in scriptorio Casiniensi ad usum monachorum coenobii sancti Nicolai de Ciconia prope Casinum siti, *cf.* Bibliotheca Casinensis II 18—23. Easdem fere lectiones praebent codices:

442 s. XI. et cod. *47* s. XII; disseruit de his Germanus Morin in editionis praefatione p. XV sq., de cod. *47* (345×240) *v.* etiam A. E. Lowe, Scriptura Beneventana (1929), nr. LXXXVIII. His codicibus adnumerandus est

m = New York, bibl. Pierpont Morgan M 642 s. XI ex., pag. 180, binis columnis, lin. 26, scriptura Beneventana, 370×260, *cf.* Meta Harrsen, Italian Manuscripts in the Pierpont Morgan Library (1953), p. 4. Scriptus est in monasterio S. Bartolomei ad Carpinetum sito (prope oppidum, quod hodie Chieti dicitur), *cf.* A. E. Loew, Beneventan Script (1914), p. 58. Codices *179*, *442*, *47* (et *m*) nequaquam ex codice *175* exaratos esse iam vidit Cutbertus Butler in editione tertia p. 145, permotus cap. XXXXI 4: operis *AB*; *179 m* operas *175*; *446* opera *K*; *X 334*; addam LXI 4: repraehendit aut ostendit *A* reprehendit (*om.* aut ostendit) *175* reprehenderit aut ostenderit *Km*.

K littera signavi aut omnes codices Casinienses praeter *175* et *m*, aut complures easdem lectiones praebentes, *cf.* G. Morin, editionis praef. (1900), p. XIV sqq.

Certe *175 Km* ad eandem familiam pertinent. Ut pauca adferam, soli omnium codicum hos errores habent: II 32: qualitatem uel intellegentiam] intellegentiam (*om.* qualitatem uel) *175 Km*; XXXXVIII 12: ab opera sua] ab opere *175 Km*; LVII 4: praesumant] facere praesumant *175* monasterio facere praesumant *Km*; LXV 17: ita] in tantum *175 Km*. Sed *175* meliores lectiones ostendit quam *Km*: pr. 3: mihi *175* — meus *Km*; pr. 25: dicens *175* — dicentem *Km*; pr. 38: sed *175*[1] — sed ut *Km*; pr. 39sq.: officium. Ergo praeparanda sunt *175* — officium erimus heredes regni caelorum *Km*; pr. 45: nobis *175*[1] — a nobis *Km*; VI 7: requirantur *175* — requirantur ne uideatur plus loqui quam expedit *Km*; VII 12: desideria carnis *175*[1] — desideria carnis amputare festinet *Km*; XXXVIII 1: fratrum *175*[1] — fratrum edentium *Km*; LXX 2: atque constituimus *175* — constituimus *K* ordinamus atque constituimus *m*.

Ad idem subarchetypum redeunt *179, 442, 47, m*: XVIII 23: adtendat] adtendatur *179, 442, 47, m*; XXVII 5: currere] curare *179, 442, m*; XV 2: usque caput] *A*; *Km* usque in caput *175*; XXXVI 4: seruire] *A*; *179 m* seruiri *175*. Saepe lectiones codd. *175 Km* pertinent ad eas, quae propriae sunt classis interpolatae: II 4: sit] absit *175 Km*; *SMW*; II 12: proponere] proponat *175 Km*; *M*; II 28: castigatio] castigatione *175 Km*; *OVSMW*; plerumque tamen concordant cum cod. *A*, ut quidam viri docti, ut iam diximus, putaverint codices Casinienses ex Benedicti autographo aut ex eius exemplari Aquisgranensi prodisse. Difficultatum nebulae diffugiunt, si textum quendam Casiniensem vel Beneventanum valde depravatum emendatum esse secundum optimum quoddam exemplar concedimus. Ps.-Diaconi textum cum cod. *446* saepe concordare vidit Henricus Suso Brechter, StudMitt. LV (1937), 218, not. 255; sed hic certe fons non is fuit, qui in familiam *175 Km* influxit. Optimum autem illud exemplar, quod ad subarchetypum codd. Casiniensium corrigendum adhibitum est, illum codicem Casiniensibus a Zacharia papa dono datum fuisse potius crediderim quam exemplar Aquisgranense.

X = Casiniensis 499 s. XIII/XIV, fol. 43, 178 × 128 (135 × 81). Continet solam regulam; scriptus est in Italia, litt. minusc. Carol. poster. Insignis est hic codex, cum et interpolatas et optimas lectiones permixtas habeat. Ex optimorum numero: XI 4: post quibus lectionibus; XIII 9: centesimum quadragesimum secundum; XV 3: matutinos; XVI 5: completorios; XVII 8: de euangelia; XVIII 5: partiantur in binos; XVIII 9: usque centesimo uicesimo septimo (*cf.* XVIII 14); XXV 3: in . . . luctum; XXV 6: cibum quod; XXVII 4: item; XXIX 1: emendationem pro quo egressus est; XXXIII 6: ne quisquam; XXXVIII 12: aedificant; XXXIX 2: illo; XXXIX 7: crapula; XXXXI 1: sera; XXXXIII 8: sedit; XXXXVIII 12: deiungant; LII 4: aliter; LIII 21: idem; LV 12: uetere; LVIII 7: sollicitudo; LVIII 18: inridit; LVIII 25: scit; LX 5: ullatenus; LXIII 15: priorem; LXIIII 19: ut sit et fortes quod cupiant; LXV 10: inordinationis; LXV 11: uidimus; LXXII 2: a uitia; LXXII 8: caste.

Codicem *X* ad Casinienses pertinere monstratur XXXI 16: de pusillis] de pusillis istis expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo eius et demergatur in profundum maris *175 Km*; *X*. Res fortasse ita explicari potest, ut dicamus optimum quoddam exemplar Casiniense in Italiae regione esse contaminatum cum textu interpolato.

Codices Casinienses igitur servare vestigia exemplaris Casiniensibus a Zacharia papa dono dati opinor; sed ne optimus quidem codex conferri potest cum codice *A*.

II. De textu interpolato

O = Oxoniensis (Oxford) bibl. Bodleiana Hatton 48, scriptus saeculi VIII. priore dimidio, fol. 1^{r}—76^{v}, lin. 22, binis columnis, litt. uncialibus, 300 × 215 (210 × 155/60); exaratus est fortasse in monasterio Vigorniensi (Worcester). Photographice depictus et prolegomenis instructus est a H. Farmer, The Rule of St. Benedict, Early English Manuscripts in Faksimile XV, Kopenhagen 1968, *cf.* P. Engelbert, Paläographische Bemerkungen zur Fak-

simileausgabe der ältesten Handschrift der Regula Benedicti, Rev. Bénéd. 79 (1969), 399—413; A. E. Lowe CLA II (1935), nr. 240. Interdum correcturas et varias lectiones inseruit librarius codicis ipse = O°, praeterea codex correctus est a quattuor vel quinque scribis temporum posteriorum: O^2 (signa z = ζήτει fol. 51^r et 63^v), O^3 s. IX., O^4 s. X., O^5 s. XIII., (v. Engelbert o. c. p. 412). Continet hodie solam regulam, sed alia fragmenta inveniuntur in cod. Oxon. Bodl. Lat. th. d. 33 et St. John's Coll. Ss 7.2, v. Farmer p. 21. Codicem circiter usque ad s. XVII. in ecclesia cathedrali Vigorniensi servatum Christophorus Hatton sibi acquisivit; quo mortuo a. 1671 codex O in bibliothecam Bodleianam venit.

V = Veronensis (Verona) bibl. capitularis LII s. VIII^{ex}, fol. 277, litt. Caroling., lin. 22—28, 224×105 (185×70). Exaratus videtur Veronae, *cf.* P. Meyvaert, Towards a History of the Textual Transmission of the Regula S. Benedicti, Scriptorium 17 (1963) 83—110 (v. Lowe CLA IV 1947, nr. 505). Hic parvulus codex miscellaneus, rarissime correctus, continet regulam in fol. 101^r—180^v; ex ceteris partibus eminent Itinerarium Burdigalense, notitia Galliarum, epitome canconica libri pontificalis, ubi pontifices usque ad Paulum (767) nominati sunt.

S = Sangallensis 916, s. IX^1, fol. 96, lin. 18, litt. minusculis Caroling., 195×125 (155×90). Continet p. 2—6 capitula regulae Benedicti, p. 6—7 de moribus perfectionis, p. 8—9 regulae prol. paragr. 40—50, p. 9 versus Simplicii, p. 9—157 regulae prol. paragr. 1—39 et cap. I—LXXIII; p. 157—158 idem poenitentiale legitur, quod est in cod. B fol. 59^v/60 („equidem sanctus pater Benedictus — inserta nectuntur"); sequuntur alia monastica. Scriptus est in monasterio S. Galli, ibi certe postea correctus secundum cod. A, sed etiam secundum peiores codices. Super regulae textum Latinum inserta est vetustissima versio Alemannica; significat igitur S^2 manum versionis Alemannicae s. IX et nonnullarum correcturarum, S^3 manum non multum distantem ab S^2, S^{mp} manus recentiores. Et Latinus et Alemannicus textus editi sunt a P. Piper, Nachträge zur älteren deutschen Literatur

(1898) p. 22—162. E. Steinmeyer, Die kleineren althochdeutschen Sprachdenkmäler (1916), p. 190—289. Ursula Daab, Die Althochdeutsche Benediktinerregel des Cod. Sang. 916 (Altdeutsche Textbibliothek L 1959).

M = Trevericus (Trier) ex monasterio S. Martini, nunc in bibl. urbis nr. 1245, s. IX, fol. 38, lin. 38, 188×117, litt. minusc. Caroling.; in hanc bibliothecam venit anno 1823 „ex dono D. Hermes" (*cf.* Traube, loco cit. 67); scriptus est in monasterio Prumensi (Prümm) prope Augustam Trevirorum sito. Continet regulam fol. 1—37 et breviarium apostolorum. Regulae lectiones plerumque cum codd. *OVS* concordant, interdum autem textum purum sequuntur. Codex *M* subscriptionem „Benedicti peccatoris" in mg. fol. 37 praebet, sed a manu correctrice adpositam; nihilominus librum, ex quo *M* exaratus est, correctum esse secundum Benedicti Anianensis exemplar crediderim.

W = Herbipolitanus (Würzburg) Mp. th. q. 22 s. VIII/IX, scriptus a librario Bruun monacho (a Candido Fuldensi?), fol. 1—57, litt. anglosaxonicis, lin. 21, 220×160 (170×115), *cf.* Bernardi Bischoff — Iosephi Hofmann Libri sancti Kyliani (Quellen und Forschungen zur Geschichte des Bistums und Hochstifts Würzburg VI, 1952), p. 54; 110. Desunt prologus et capitula. Omissa sunt capitula liturgica.

Eiusdem familiae erant codices, ex quibus nobis fragmenta tantum servata sunt:

Z_1 = Monacensis 29.169 s. VIII. ex monasterio Emmeranensi, continens VII 37—54; VII 64—70; VIII 1—4; XVIII 1 — XXV 2; LIII 10 (propter) — 20 (solatia); LV 14 (quas) — LVI 2 (potestate).

Z_2 = Monacensis 6330 s. VIII. ex monasterio Frisingensi, fol. 11, continens IV et VII 10—70. Ad quam familiam pertineat, elucet ex VII 64; omni hora de peccatis suis aestimans iam se *om.* Z_2S et *Sangall. 110* (c. 800, p. 524—558).

Primum codices *OVS* eodem subarchetypo ortos esse satis constat; ad idem autem pertinet etiam cod. *M*. Quibus in codicibus desunt prologi paragr. 40—50; in quarum loco paragr. 39 „sed si conpleamus habitatoris officium" sequuntur verba: „eri-

mus heredes regni caelorum". Non possum adsentiri iis, qui in subarchetypo folio avulso lacunam hiasse putent, quam aliquis explevisset. Prologi paragraphi 39 ultima sententia „sed si conpleamus habitatoris officium" suppleta est verbis „erimus heredes regni caelorum", quae similia sunt ultimis vocibus paragraphi 50: „ut et regno eius mereamus esse consortes". Ex hoc subarchetypo autem provenerunt non solum codices *OVSM*, sed etiam ii libri, ex quibus post correcturas secundum exemplaria pura codd. *TD* provenerunt, praeterea cod. *W*, postremum fragmenta codicum, quae in apparatu critico neglexi, velut Arvernense (Clermont-Ferrand) bibl. munic. 241 s. IX. Aurelianense 149 s. IX, alia.

Ex magno locorum numero, quibus *OVSM*(*W*) differunt ab codice *A* (his autem litteram *H* addidi, ubi codd. H_{1-3} cum *OVSMW* concordant) haec adferam: pr. 1: obsculta] ausculta; pr. 21: in regnum suum] in regno suo; II 8: tantundem] tantum (*H*); II 18: non conuertenti ex seruitio praeponatur ingenuus] non praeponatur ingenuus ex seruitio conuertenti (*H*); II 28: castigatio] castigatione (*H*); IIII 66 sq.: zelum non habere, inuidiam non exercere] zelum et inuidiam non habere (*H*); IIII 77: auris audiuit] auris audiuit nec in cor hominis ascendit (*H*); IIII 77: illum] eum (*H*); VII 19: auertere] auerte; VII 28: factorum nostrorum opera] factori nostro opera nostra (*H*); VII 42: uadunt duo] uadunt et duo (*H*); VII 63: in opere dei] in opere (*H*); IX 6: duo — dicantur *om.* (*H*); XVIII 5: partiantur in uinos] diuidantur in binas glorias (*H*); XIX 1: in omni loco *om.* (*H*); XXI 1: fratres] fratribus; XXI 2: suas *om.* (*H*); XXI 6: subrogetur] succedat (*H*); XXIV 6: frater *om.*; XXVII 2: inmittere senpectas] inmittere quasi occultos consolatores senpectas (*H*); XXVIII 3: ustionem] ultionem (*H*); XXIX 1: egreditur] egreditur aut proicitur (*H*); XXXV 17: accepta benedictione] accipiat benedictionem (*H*); XXXVIII 1: fratrum] fratrum edentium (*H*); XXXVIII 5: silentium] silentium ad mensam (*H*); XXXVIII 6: uicissim] uicibus; XXXVIII 10: lector: *om.* (*H*); XXXIX 11: omnimodo] omnino (*H*); XLI 8: tamen] autem (*H*); XLI 9: luce] cum luce (*H*); XLII 7: si qui...fuit] si quis...fuerit; XLII 11: honestis-

sima] -me (*H*); XLIII 10sq.: stent...praesumant] stet...praesumat (*H*); XLIII 12sq.: ita tamen ut satisfaciat reus ex hoc ad mensam autem qui ante uersum non occurrerit] *om.* (*H*); XLIII 18: et *om.* (*H*); XLIII 19: percipiat] accipiat (*H*); XLIIII 1: nihil] et nihil (*H*); XLIIII 6: sane] plane ($H_{1.2.}$ *Ye*; tamen H_3); XLIIII 8: iterum] *om.* (*H*); XLV 1: antiphonam] aut antiphonam (*H*); XLVIII 3: a prima] a prima hora; XLVIII 5: alium] alterum (*H*); XLVIII 6: et *pr.*] *om.* (*H*); XLVIII 6: iterum] ideo (*H*); XLVIII 12: pulsauerit] pulsauerit. mox ut auditum (-us *V*) fuerit signum (-us *V*) relictis omnibus quaelibet summa cum festinatione curratur; XLVIII 18: distollit] extollit (*H*); LI 1: omnino *om.* (*H*); LII 2: habeatur reuerentia] agatur reuerentia (*H*); LII 5: in oratorio *om.* (*H*); LIII 19: sed et] sed (*H*); LIIII 3: dari] dare (*H*); LV 7: degunt] habitant (*H*); LV 13: quae] qui (*H*); LV 17: si...accepit] si...acceperit (*H*); LVI 1: hospitibus et peregrinis] peregrinis et hospitibus (*H*); LVII 8: dari potest] datur (*H*); LVIII 13: iterum relegatur] iterum legatur; LVIII 16: aut] ei; LVIII 18: ab eo] a deo (*H*); LVIII 21: inposuerit] posuerit (*H*); LVIII 23: ex illa hora] ex illa die (*H*); LIX 3: promittant] promittat (*H*); LIX 3: per suffectam personam] per subiectam personam; LIX 4: si...volunt] si...voluerint; LX *tit.*: forte *om.* (*H*); LX 1: citius ei] ei citius; LX 9: propriam stauilitatem] propria stabilitate; LXI 12: maiori] in maiori (-re S^1) (*H*); LXI 12: esse uitam] uitam esse; LXII 3: subdendum] subditum (*H*); LXII 7: decanis] a decanis; LXIII 11: appellare nomine] nomine appellare; LXIII 15: priorem] a priore; LXIII 19: et *pr.*] *om.*; LXIIII 1: sibe *pr.*] sibi (*H*); LXIIII 12: eradere cupit] cupit eradere (*H*); LXIIII 14: nutriri] nutrire; LXV 2: esse abbates] abbates esse; LXV 6: es et tu] *BCTD* est (*H*); LXV 10: talius] talibus (*H*); LXV 17: sollicitius] sollicite (*H*); LXV 18: superuire] superbiae (*H*); LXV 22: inuidiae aut zeli] zeli aut inuidiae (*H*); LXVI 1: et *alt.*] *om.* (*H*); LXVI 2: debebit] debet (*H*); LXVI 6: molendinum] molendino (-um *V*) pistrino (-um *V*) (*H*); LXVII 3: solo] loco (*H*); LXX 1: uitetur] uetetur; LXXII 8: caste] casto.

Tanto locorum numero satis declaratur codices *OVSMW*

eodem subarchetypo emanasse, cuius textus primum sermonis cottidiani consuetudine ortus videtur, deinde autem eo consilio, ut linguae Benedicti duritia poliretur et partim secundum sanctas scripturas verba explerentur. Nam multae interpolationes paulatim exortae in hoc subarchetypo receptae videntur, nonnullae novae additae, non a Simplicio quodam in Casiniensi monasterio, sed ab ignoto quodam Romae, ut initio regulae, quale extat in codice *V* demonstratur: „regula a sc̄o Benedicto romense edita". Quae cum ita sint et cum monachi, qui ex septentrionalibus regionibus in urbem venerunt, etiam alios libros ex Laterano acceperint (ut monstravit Petrus Courcelle, Les lettres grecques en Occident de Macrobe à Cassiodore, Lutetiae Parisiorum[2] 1948), verisimile est papis auctoribus textum interpolatum ex Ioannis monasterio Lateranensi esse diffusum. Cui ultimam limam ab uno scriba esse adhibitam probatur prologi 39sq. fine novo.

Sed cum agatur de textu, quem monachi memoria tenebant, librarii etiam vocabulorum formas repetebant, quas ex alio quodam exemplari in mente habebant. Ita in vetustissimo codice *O* saepius tales extant, quales in *VSM* non inveniuntur, veluti I 5: extructi] *AB*; *OW* instructi *VSM*; I 7: seruantes] *AB*; *O* seruientes *VSMW*; IIII 69: elationem] *A*; *O* elationem uel iactantiam VS^1M; VII 45: ad dominum] *A*; *O* domino *VSM*; XXVII 4: item] *AB*; *O* idem *VW*; *om. SM*; XXVII 5: currere] *AB*; *O* curare *VSMW*; XXXIX 2: ex illo] *AB*; ex uno VS^1M; LVII 3: erigatur] egrediatur O^1; euellatur S^1M; arguatur *W*; elegatur *V* (*omnes fere diversi sunt*; *fortasse in subarchetypo vox* „erigatur", *quae difficulter intellegi poterat, non mutata remanserat, ut librarii varie corrigerent*); LVIII 25: scit] *AB*; *O* sciat *VSMW*. Sed etiam in codicibus *VS* hoc modo interdum meliores lectiones servantur.

Artiore vinculo inter se conexi sunt codices *OW* et *SM*. Dubitari vix potest, quin *O* et *W* ex eodem exemplari provenerint. Si *W* scriptus est a Candido (= Bruun) monacho in monasterio Fuldensi, exaratus esse potest ex hoc codice, quem Bonifatii fratres ex Britannia secum adportaverant, simillimo codicis *O*.

Codicem *M*, qui etiam optimas lectiones praebeat in *OVS*

non extantes, exemplari quodam, correcto secundum Benedicti Anianensis apographum, ortum esse verisimile est. Ex magno talium locorum numero adhibeantur VII 22: uoluptatibus] *AB*; *M* uoluntatibus *OVSW*; XLVII 3: ipsud] *ACT*; *M* ipsum *OVSW*; L 1: fratres qui omnino longe sunt in labore et non possunt occurrere] *AB*; *M* fratres qui omnino longe sunt et non possunt occurrere *OVSW*; H_{1-3} *Ye*. Qui codex cum recentior sit, et peiores lectiones ostendit, interdum etiam signa vetusti exemplaris Narbonensis, de quo infra dicam, praebet, ut VI 7: et ideo si qua requirenda sunt a priore, cum omni humilitate et subiectione reuerentiae requirantur] *A* et ideo si qua requirenda sunt a priore, cum summa reuerentia ne uideatur plus loqui quam expedit *OVSW* et ideo si qua requirenda sunt a priore, quomodo in summa reuerentia (requirantur *add.* H_1) ne (non H_1) uideatur plus loqui quam expedit $H_{1.2.4.}$ et ideo si qua requirenda sunt a priore, cum modo in summa reuerentia ne uideatur plus loqui quam expedit *a*; *M*; *e*.

Ad eundem fontem certe pertinent codices *S* et *M*, *cf.* II 33: ne] non *SM*; *om. OVW*; XVIII 22: iudicauerit] iudicauerit agat *SM*; XXIII 2: secundo] iterum *SM*; XXVII 3: fluctuantem] luctuantem *SM*; XXXIIII 4: indiget] indiget exhibeatur ei *SM*; *e*; XLV 1: humiliatus fuerit] humiliatus fuerit et a senioribus non excessum (-su *M*) sue (suo *M*) castigatus non se recognoverit (cognoverit *M*) excessisse *SM*; LIX 5: donationem] donationem faciant *SM*; LXIX 1: praecauendum est] summopere cauendum est *SM*.

Maximae autem difficultates solvendae sunt, si quis quaerat, unde prol. 40—50, unde versio Alemannica in textum codicis *S* venerit. Ludovicum Traube secuti viri docti prol. 40—50 textui interpolato praepositos esse putant, cum exemplar Aquisgranense in monasterio Divitis Augiae, inde in Sancti Galli notum fieret; cuius notitiam esse divulgatem, priusquam Grimaltus Tattoque apographum fecissent. Alii paragraphos prologi 40—50 in cod. *S* ex codice quodam Casiniensi vel Beneventano sumptos opinantur. Sed lectiones, quas codex *S* in prol. 40—50 praebet, saepe plane

diversae sunt ab his, quae in *A* inveniuntur, immo hi paragraphi in codice *S* horribiles errores prae se ferunt, quos librarius nec ante fecit nec post, *cf.* pr. 41: iuueat] adibeat *S*; pr. 41: ministrare] om tre (= omnis terrae) *S*; pr. 42: si] sic *S*; pr. 48: initio] itenere *S*; pr. 49: fidei dilatato] si dei dilatuto *S*; pr. 49: curritur uia mandatorum] curritur mandatorum *S*; pr. 50: numquam] notitiam *S*.

Qui errores omnes fere extant in codice *Sangallensi 110* s. IX (de quo A. Bruckner, Scriptoria medii aevi Helvetica III, p. 69); is codex miscellaneus continet a) p. 524—538 regulae cap. VII 10—70; b) p. 538—540 de erroribus perfectionis (ea pars etiam in cod. *S* praecedit prol. 40—50!); c) p. 540—542 regulae prol. 40—50; d) p. 542—548 regulae cap. IIII; e) p. 548—558 regulae prol. 1—50.

Pars c) eisdem fere erroribus depravata est quibus cod. *S*; tamen ex codice *S* non videtur exarata. Nam etiam meliores lectiones inveniuntur quam in *S*; pr. 44: agendum est modo] *A Sang. 110* agendum modo est *S*; pr. 49: fidei dilatato] *A Sang. 110* si dei dilatuto *S*; pr. 49: dulcedine] *A Sang. 110* dulcidine *S*; pr. 50: participemur] *A Sang. 110* participemus *S*.

Etiam in parte b), de moribus perfectionis, lectiones in utroque codice diversae sunt.

Quare ex eodem fonte codicis *S* et codicis *Sang. 110* partes b) et c) fluxerunt. Fons communis autem, ad quem etiam codex *g* (de quo infra!) pertinet, ille codex videtur fuisse, in quo textus Latinus cum versione Alemannica primum coniunctus erat.

Summi momenti enim est in codice *S* etiam versionem inter lineas positam eosdem errores praebere: pr. 41: iuueat] *A* adibeat *S Sang. 110*; *g* zuatue *vers. Alem.*; pr. 41 ministrare] *A* om tre (= omnis terrae) *S Sang. 110* (*om. g*) eocouuelihera erda *vers. Alem.*; pr. 42: si] *A* sic *S Sang. 110*, so *vers. Alem.*; pr. 48: initio] *A* itenere *S* itinere *Sang. 110* sinde *vers. Alem.*; pr. 49: curritur uia mandatorum] *A* curritur mandatorum *S Sang. 110* si kehlaufan kepoto *vers. Alem.*

Ubi autem *Sang. 110* et *S* non concordant, versio Aleman-

nica meliores codicis *Sang. 110* lectiones sequitur; pr. 49: fidei] *A*, *Sang. 110* dera kilauba *vers. Alem.*, si dei *S*.

Restat igitur quaestio, unde versio interlinearia codicis *S*, non per unum, sed per complures scribas inserta, venerit. Qua de re egerunt Ursula Daab, Studien zur althochdeutschen Benediktinerregel, Hermaea XXIV (1929), et Ioannes Neuhold, Die althochdeutsche Interlinearversion der Benediktinerregel und ihre lateinischen Vorlagen, Diss. Vindob. 1956, ductus et adiutus a Dietrich Kralik (†) et a me (recensuit Ioannes Menhardt, Beiträge zur Geschichte der deutschen Sprache und Literatur, LXXXI, 1959, p. 221—225). Ex utraque dissertatione sequitur versionem Alemannicam codicis *S*, quae glossarum formam habet, esse exaratam ex vetustiore exemplari in monasterio Augiensi scripto, quod totum textum Latinum totumque Alemannicum praebuerat; in cod. *S* glossae paulatim rariores fiunt et desinunt inde a cap. LXVII; sed in codicis *S* praecursore et textum Latinum et versionem Alemannicam eodem loco desisse verisimile non est. Ioannes Neuhold, qui collationibus meis codd. H_{1-4} usus est, versionem Alemannicam ex exemplari Latino, codicum H_{1-4} simillimo, haustam esse monstravit. Quae cum ita sint, haec fere codicis *S* genesis est: Pervetustus quidam textus in eam regionem pervenit, unde codices H_{1-4} originem duxerunt; quam Narbonensem fuisse persuasum habeo, unde vetustissimus *cod.* H_4 s. VIII. (nunc praeter nonnullas lectiones deperditus) venit. Qui textus pervetustus prologi paragraphos 40—50 valde depravatas continuit. In regione Narbonensi autem regula quaedam interpolata, cui prologi § 40—50 deerant, et hic textus depravatus pervetustus, continens prologi § 40—50, contaminati sunt. Regula quaedam ita contaminata in Alemannorum regiones pervenit. Ex tali exemplari, postea correcto secundum Benedicti Anianensis apographum, prodiit codex *B*; propterea enim continet etiam „interrogationem Rustici episcopi Narbonensis(!) et responsionem papae Leonis“ (fol. 84—89). In monasterio Augiensi autem haec regula contaminata in linguam Alemannicam versa et cum hac versione coniuncta est ad codicis *S* praecursorem

Augiensem; qui cum in monasterio S. Galli innotuisset, ubi regula interpolata in usu erat, prologi § 40—50 regulae interpolatae praepositae sunt, inter cuius lineas glossarum forma versio Alemannica inserta est. Ex regione Narbonensi autem hunc textum contaminatum venisse non solum ex codice *B*, sed etiam ex eo apparet, quod codicis *Sang. 110* prologi ad codices Narbonenses-Hispanos pertinent; nam incipit eius pars e) verbo „absculta" sicut H_{1-3}.

δ = Donati Vesontiensis episcopi regula ad virgines, quarum monasterium beatae Mariae dedicatum prope Vesontionem (Besançon) inter annos 655—660 a Flavia, Donati matre, conditum est. Scripsit ad earum usum Donatus regulam traditam in cod. Monacensi 28.118 s. IX. (Benedicti Anianensis codice regularum), fol. 196—207. Contaminavit Caesarii Arelatensis, Benedicti, Columbani regulas; varias autem partes ex Benedicti regulae capitulis II—VII; XIX—LXIX easque ex exemplari quodam interpolato sumpsit, cuius textus iam quattuor fere decenniis ante in formam suam redactus erat. Donati textus saepe concordat cum lectionibus codicum, qui in Gallia meridionali originem habebant, praecipue cum codd. H_{1-4}, *cf.* VII 57: monstrante] dicente δ; H_{1-4}.

Quo iam Venerandus usus videtur anno 625, postea autem χ = Chrodegangus, Metensis (Metz) episcopus (742—766), cum statuta canonicorum componeret; habet lectiones in codd. *OVS* traditas etiam

ι = Hildemarus in „expositione regulae" secundum editionem, quam Rupertus Mittermueller Ratisbonae 1880 curavit. Hildemarus, qui ex Gallia in monasterium Clavadense (Civate) ad lacum Larium venerat ibique docuerat et regulam verbis explanaverat, post annum 845 textu contaminato usus est, sicut Wolfgangus Hafner, Der Basiliuskommentar zur Regula S. Benedicti (1958) monstravit. Sed discipulus quidam, qui postea Hildemari explanationem, quam ille verbis tantum dederat, conscripsit et in formam voluminis redegit (cuius textum edidit Rupertus Mittermueller), commentario regulam interpolatam magis quam contaminatam inseruit.

III. De textibus puris cum interpolatis contaminatis

a) De codicibus Narbonensibus-Hispanis

H_1 = Escurialensis a I 13 s. X, fol. 204, usque ad fol. 172 binis columnis, scriptura Visigotica, lin. 31, 300×185, *cf.* A. Linage Conde, Los origenes del monacato benedictino en la Peninsula Ibérica (1973) II 826—836. Continet praeter pactum Sabarici Samensis (fol. 1—3) primum Benedicti regulae cap. LXXIII (fol. 3), deinde a fol. 3r—33r prologum, capitula, regulam. Sequuntur inde a fol. 33v regulae Fructuosi, Isidori, Pachomi, Cassiani, Leandri, Macarii, alia. Scriptum invenitur in fol. 186v: „O vos omnes, qui legeritis hunc codicem, mementote clientula et exigua leodegundie, qui hunc scripsi in monasterio bobatelle regnante adefonso principe in era DCCCCL"; adnotavit autem manus quaedam s. XVI vel XVII: „nota scriptum librum era DCCCCL, sed legendum DCCCL". Dubium iam nondum est, quin H_1 scriptus sit s. X; numerum manus correctricis DCCCL defendit P. Guillermo Antolín, Historia y descripción de un Codex Regularum del siglo IX, La Ciuidad de Dios LXXV (1908), 23—33; *cf.* Antolín, Catálogo des Códices Latinos de la Real Biblioteca del Escorial (1910) I, p. 21 sqq. et Paulus Ewald-Gustavus Loewe, Exempla scripturae Visigoticae, tab. XV. Sed Leodegundiae numerum DCCCCL tuetur E. A. Loew, Studia palaeographica (Sitz.-Ber. Bayer. Akad. d. Wissensch. 1910/XII), p. 82 sqq. Rem ita se habere enucleavit Manuel Diaz y Diaz, El códice monástico de Leodegundia, Ciuidad de Dios CLXXXI (1968), 567—587; accuratius Ioannes Divjak demonstravit hunc codicem a. 902 esse exaratum, Zur Datierung des Codex Escorial a I 13, Antidosis, Festschrift W. Kraus (1972), 69—77. Scriptus est igitur cod. H_1 in monasterio „Bobadillae", forsitan prope oppidum Legionem sito. Utrum Benedicti regula a monacho quodam ignoto sub abbate Sabarico (*cf.* fol. 1—2) an a monacha Leodegundia (fol. 186v) scriptus sit, incertum est; ex hoc monasterio autem pervenit Ovetum (Oviedo) in Asturia situm (ut apparet ex nota quadam in fol. 1: „es de la yglesia de ouiedo"), deinde in bibliothecam Escurialensem.

Sicut omnes codices Hispani etiam H_1 textum praebet, qui familiae interpolatorum codicum proprius, inprimis Donati, Vesontiensis episcopi, regulae adfinis est, quatenus Benedictum sequitur. Haec textuum vicinitas eo magis conspicua est, quod in codice H_1 Benedicti regulae cap. LXV „de praeposito monasterii" praemissus est textus quidam brevior, qui invenitur in Donati regulae cap. V:

„praepositus (-ta δ) monasterii eligatur a patre (matre δ) spiritale (-i) de congregatione cum consilio fratrum (seniorum suorum) sapiens sanctus (sancta sapiens) timens deum, humilitatemque super omnia habens, et religionis (in religionis) amore deuotus (-ta) et regulae obseruatione sit cognitus (-ta). Que (!) praepositus (-ta) ea agat cum consilio (reuerentia) quae etiam a patre (matre) spiritale (-li) (ei) iniuncta fuerint. Nihil contra ipsius uoluntatem aut hordinationem (ord-) faciat. Que (quia) quamtum (quantum) prelatus (-ta) est ceteris fratribus (sororibus) locis (*deest*) tamtum (tanto) magis oportet eum (eam oportet) sollicite obserbare (-uare) in omnibus precepta regule. Que (quae) praepositus (-ta) si in aliquo (alico) deprehensus (reperta) fuerit uitio (aut elationis fuerit *add.* δ) deceptus (-ta) superbia (-bie) aut contemptus (contemptrix) sce regule conprobatus (-ta) admoneatur uerbis usque ter. Si non emendaberit (-uerit) adibeatur ei correptio (correctio) discipline regularis. Quod si nec (neque sic) correxerit tunc deiciatur de hordinem (ordine) prepositi (praepositurae) et alius (-a) (quae digna est *add.* δ) in loco eius subrogetur. Quod si et post haec non correxerit et (non — et *deest* δ) in congregatione quietus (-a) et oboediens non fuerit. etiam de monasterio expellatur aut in cellam (-ea) ubi (ob) penitentiam agat (condignam) retrudatur". Ceterum H_1 erroribus scatet, quos non omnes in apparatu critico suscepi, ne lectorem nimis perturbarem: pr. 12 dicit] dixit H_1; pr. 21 ducatum] ducatu H_1; pr. 39 habitatore] hauitatorem; 4,46: concupiscentia] concupiscentiam; 5,8: uocem] uoce; 6,1: obmutui] omutui; 6,8: locis] *om.*; 7,11: contemnentes] contentes; 7,52: obproprium] obprium; 11,2: modulatis] modulatus; 11,2: ut] in; 11,3: omnes] *om.*; 22,3 et

40,6: potest] pote est; 28,1: qualibet] qua liber; 31,1: sapiens] si sapiens; 35,12: ante unam horam] ante hora; 36,5: copiosior] copisior; praesumat ibi] praesumptibe; 39,3: duo] dua; 42,5: ut diximus] induximus; 43,18: postea quicquam cibi aut potus] posteam quicquam cibum aut potum; 48,8: manuum] manum; 48,12: primo] *om.*; 48,12: dum] ut dum; 49,5: potus] potum; 49,8: eius] eius iussu; 52,1: condatur] recondatur; 53,17: ingrediantur] ingrediuntur; 53,18: solacia] solacium; 53,24: salutatis] salutatus; 55,13: restituant] restituent; 55,14: aliquanto] aliquando; 56,2: sit] erit; 58,1: ei] enim; 58,19: promissione sua] promissionem suam; 58,20: manu sua] manum suam; 58,21: quam] quae; 58,21: expectatione mea] expectationem meam; 58,28: rebus] uestibus; 61,9: exemplo] exempla; 63,10: minores] tunc iuniores; 65,2 et 7: aemulationes] simulationes; 65,10: periculi] periculum; 69,2: qualiuis] qualeuis.

H_2 = Escurialensis I III 13 s. IX/X, fol. 225, scriptura Visigotica, 240 × 150, fortasse ex eadem regione ac H_3. Continet calendarium fol. 1—7, regulam Benedicti fol. 7v—57v (cap. XXII in textu omissum, in fol. 57 receptum est; cap. XLIIII et XLV ordine mutatis lacunae hiant inter fol. 52 et 53, ut cap. LXIII 4 — LIX 2 desint, et inter fol. 55 et 56, ut cap. LXVI 7 — LXIX 1, et inter fol. 56 et 57, ut cap. LXXI 9 — LXXIII 2 desint). Sequuntur alia monastica et Gregorii papae homiliae. Incipit regula eisdem vocibus quibus codex regularum Benedicti Anianensis: „incipit prologus regulae sanctorum patrum monachorum", *cf.* A. Linage Conde l. c. II 844—851. Non minus neglegenter scriptus est H_2 quam H_1; praeter errores in apparatu critico receptos hi inveniuntur: pr. 16: respondeas ego] responde at ergo H_2^1; pr. 39: si] sic H_2; pr. 39: habitatoris] auitatori; pr. 40: sanctae] sancta; cap. LII: monasterii] monasterio; 4,46: concupiscentia] concupiscentiae; 7,4: humiliter] humilitas; 7,4: super] supra; 7,35: duris] duri; 7,35: inrogatis] rogis; 14,1: festiuitatibus] solemnitatibus; 18,24: cum (*ante* consuetud.)] *om.*; 18,25: legimus] gelamus; 23,5: corporali] corporalis; 33 tit.: quod] *om.*; 34,2: infirmitatum] infirmatum; 34,6: causa] cause; 35,13: ut] ad;

36,5: copiosior] copior; 36,10: respicit] recipiet; 38,1: fortuito] furtuitu; 38,2: deus spiritum] deus omnipotens tipum; 48,1: otiositas] otiosa; 49,5: augeamus] augemus; 53,1: tamquam] quam; 53,15: diuitum] debitum; 53,16: qui] quia; 55,3: penes abbatem] in abbate; 55,7: quales] qualis; 55,8: curta] curte; 58,24: facta] factor; 60,3: relaxabitur] releberitur; 61,5: quia] quia et.

H_3 = Londinensis Musei Britannici Add. 30.055 s. X, fol. 237, binis columnis, scriptura Visigotica, lin. 29, 260 × 170. Est codex regularum, in quo extant Cassiani institutiones, regula Macarii, praecepta Pachomii, regula Basilii; Benedicti regula continetur fol. 194r—221v; sequuntur regulae Isidori episcopi Hispalensis et Fructuosi Bracarensis episcopi, praeterea fragmenta Smaragdi commentarii in regulam Benedicti. Ex monasterio S. Petri Cardenensi (Cardeña, diocesis Burgos) in Britanniam venit, *cf.* A. Linage Conde l. c. II 836—840.

H_4 = Codex Narbonensis, qui s. XVII ex. in bibliotheca cuiusdam „Domini theologi SS. Iusti et Pastoris" Narbonensis extabat (*cf.* H. Plenkers, Zeitschrift für österr. Gymnasien LIII, 1902, p. 111), nunc deperditus. Quo usus erat Edmundus Martène in commentario (1690), quo Benedicti regulam explicavit. Martenius codicem s. VIII scriptum esse adfirmat. Codicem contulerat anno 1679/80 D. Estiennot iussus ab Ioanne Mabillon, ut his collationibus Martenius uteretur. Quae collationes extant in cod. Parisino Bibl. Nationalis 12.772, p. 137sqq. Erat codex regularum, fortasse in monasterio Lerinensi confectus litteris Visigoticis, *cf.* A. Linage Conde l. c. II 840—842 et M. Diaz y Diaz, Stud. Monast. VII (1965), 369—382.

Y = Barcinonensis (Barcelona) A. C. A. St. Cugat 22 s. X/XI, litt. Caroling., continet regulam fol. 130—155, v. A. Linage Conde l. c. II 851—852.

e = Parisinus Bibl. Nationalis 4209 s. XI., fol. 31, litt. Caroling., 285 × 165 (190 × 125). Continet regulam et Evaristi papae epistulam ad Aegyptios. Praeter lectiones codicum Narbonensium-Hispanorum recepit etiam nonnullas codicis *S* aut eius praecursoris.

Pertinent ad hanc codicum familiam etiam alii, ut Escurialenses d. I. 2 (s. X) et d. I. 1, qui capp. 2; 1; 33; 51; 41 continent; *cf.* A. Millares Carlo, Manuscr. Visigoticos nr. 21.22, Hispania Sacra XIV (1961), 353. Praeterea cod. Aurelianus 149, s. IX., qui fol. 102 prologum usque ad paragr. 39 perhibet, Montepessulanus bibl. urbis 13. s. XIII., Monteserratensis 995 s. XV, alii; hos omnes, qui verbo „absculta" incipiunt, quae forma velut signum huius familiae haberi potest, non recepi. Quos codices, cum non solum in Hispania, sed etiam in iis Galliae regionibus, quae ad meridiem vergunt, in usu erant, codices Narbonenses-Hispanos appellavi.

Qui ad lectiones codicum interpolatorum *OVSMW* respexerit, quas supra contuli, ubi et siglum *H* adposui, non dubitabit, quin haec familia ex quodam subarchetypo interpolato prodierit. Praeterea prologi fragmentum, quod est in cod. *Aureliano 149*, s. IX., fol. 104—110 in paragrapho 39 vocibus „erimus heredes regni caelorum" finitur. Sed H_{1-3} *Y* hoc differunt, quod his vocibus carent et quod prologi paragraphis 40—50 aucti sunt. Num eos ex exemplari Aquisgranensi aut ex Benedicti Anianensis apographo acceperunt? Nequaquam, cum multo peiorem textum praebeant quam codd. *ABCσT*.

Sed extant codices Beneventani ut *Rb*, qui quamquam lectiones suas nec ex exemplari Aquisgranensi nec ex apographo a Zacharia papa Casiniensibus reddito receperunt, tamen totum prologum sine vocibus „erimus heredes regni caelorum" praebent. Talem textum regulae s. VIII. in Galliam Narbonensem penetrasse crediderim, ubi exemplari interpolato notam impressit. Codices H_{1-3} autem praeterea etiam lectiones Benedicti Anianensis suscepisse non negaverim; qui cum scribebantur, codicum textus iam ex variis fontibus confluxerant.

b) De codicibus Beneventanis

334 = Casiniensis 334 s. XII., fol. 107r—156v, 245×165 (168×115), scriptura Caroling.; continet necrologium, martyrologium, regulam (fol. 107r—156v); in bibliothecam Casiniensem

venit ex monasterio S. Trinitatis Venusino (Venosia) ad Volturnum flumen sito. Huc autem translatus est ex Normandia Roberti Guiscard temporibus (*cf.* G. Morin, praef. XIX). Codex ipse textum posteriore aetate receptum praebet.

Codices Casinienses igitur servare vestigia exemplaris Casinatibus a Zacharia papa dono dati opinor; sed iterum ne optimus quidem codex conferri potest cum codice *A*.

446 = Casiniensis 446 s. X, fol. 1—42, scriptura Beneventana, 182×110 (137×78), continens regulam inde a II 36: [ti]mentibus, fol. 1—42; sequitur textus quidam liturgicus, „orationale anni circuli", ecclesiae Romanae. Germanus Morin in editionis praef. XIX iure contendit hoc esse „orationale" Lateranense. Quare et regulam ex hoc antiquissimo monasterio originem duxisse credemus, cuius textus in Italiam ad meridiem vergentem pervenerit, ubi cod. *446* certe scriptus est. Qui quamquam lectionibus depravatis non caret, permagnum numerum optimarum continet, quae partim cum cod. *R* (Beneventano) congruunt; codd. *446* et *R* eiusdem stirpis esse censeo, *cf.* V 4: mox *446*; *R*; V 9: opera *446*; VII 14: demonstrans *446*; *R*; VII 45: ad dominum *446*; *R*; XI 5: post quibus *446*; XI 9: de euangelia *446*; XVII 5: missas sunt *446*; XVIII 10: usque dominica *446*; XXV 6: cibum quod *446*; *R*; XXVIII 3: plagarum uirgae *446*; *R*; XXXI 13: quod tribuatur *446*; *R*; XXXVIII 1: fratrum *446*; *R*; XLII 3: mox *446*; *R*; LV 6: scapularem *446*; *R*; LV 7: colorem *446*; *R*; LV 16: scrutinanda *446*; *R*; LVI 3: duo *446*; *R*; LVIII 7: ad oboedientia *446*; *R*; sed et errores saepe communes sunt. Quare cod. *446* sicut cod. *R* non ad interpolatam, sed ad depravatam quandam familiam pertinere puto, quae ex vetustissimo exemplari Lateranensi prodiit.

R = Rom. Barberianus 421 s. XI., fol. 17ᵛ—110ᵛ, lin. 17, scriptura Beneventana, 175×150 (130×90). Scriptus est Beneventi. Incipit codex forma „obsculta", sequitur in prol. 39 sqq. nec interpolatam nec classem textus recepti, sed puram. Servavit egregias lectiones; quae communes cum cod. *446* sunt, iam protuli. Praeterea commemorabo has: IIII 77: audiuit quae praeparauit; VII 12: linguae manuum; VII 28: factorum nostrorum

opera; VII 42: uadunt duo; VII 63: in opere dei; VIIII 6: duo responsoria sine gloria dicantur; XIII 10: canticum unumquemque; XV 3: dicatur; XVIIII 1: in omni loco; XXI 1: fratres; XXI 2: suas; XXI 6: subrogetur; XXXVIII 5: silentium; XXXVIII 10: lector; XLI 8: tamen; XLII 7: si . . . fuit; XLIII 12sq.: ita tamen — occurrerit; XLIII 19: percipiat; XLIIII 1: nihil; XLVIII 3: a prima; XLVIII 5: alium; XLVIII 6: iterum; XLVIII 12: pulsauerit; LII 5: in oratorio; LIII 19: et; LIIII 3: dari; LV 7: degunt; LV 13: quae; LVII 18: dari potest; LVIII 13: iterum relegatur; LXII 3: subdendum; LXIIII 12: eradere cupit; LXV 2: esse abbates; LXV 6: es et tu; LXV 17: sollicitius; LXVII 3: solo. Mirari non possumus, quod codex saeculi XI. etiam lectiones textus recepti praebet. Inprimis memoria tenendum est hunc textum propter „orationale" Lateranense, quod est in codice *446*, et propter affinitatem codicum *446* et *R* ex Lateranensi monasterio exisse.

a = Ascoliensis (Ascoli Piceno) bibl. communalis XXVI A s. X., fol. 1—92, lin. 17, litt. Caroling., continens regulam et martyrologii fragmentum, et

v = Rom. Vaticanus lat. 6980 s. XIII/XIV, fol. 41, lin. 22, scriptura Beneventana, 215×155, originis incertae.

Qui codices textum receptum, plane diversum a codd. *Rb 446*, praebentes praeter alias communes etiam singulares lectiones ostendunt, ut de eorum origine dubitari non possit, *cf.* XVIII 18: lectione] lectio *av*; XVIII 19: idem] itidem *av*; XXVI 2: sortiatur] ei sortiatur *av*; XXXI 8: ministrauerit] administrauerit *av*; LXIII 13: honore et amore] amore et honore *av*.

b = Rom. Vaticanus lat. 5419 s. XII/XIII, fol. 89, lin. 24, 272×190 (195×105), litteris Beneventanis scriptus in monasterio S. Laurentii Beneventano. Eius lectiones codicis *R* saepe similes sunt; hic quoque pr. 39sq. textum purum servavit.

c = Rom. Vaticanus lat. 5949 s. XII/XIII, fol. 202, lin. 24, binis columnis, scriptura Beneventana, 345×245 (250×155), ex monasterio S. Sophiae, Beneventi. Continet martyrologium,

regulam (fol. 67v—123v), homilias, capitularia, v. Hugo Ehrenberger, Libri liturgici, p. 172. Huius quoque textum receptum esse ex apparatu critico apparebit.

IV. De textu vulgo recepto

Inde a medio saeculo IX. ubique textus varie contaminatus procreatus est, quem Cutbertus Butler optime „textum receptum" nominavit. Haec exemplaria contaminata saepe ad originem suam reduci non possunt, quamquam eorum lectiones in singulis regionibus maiorem similitudinem ostendunt.

Elegi igitur codices

1. ex Germania:

L = Fuldensis D 3 s. IX., fol. 62, lin. 20, litt. Caroling., 270×180. Continet solam regulam, quae deficit voce „praesumatur" in cap. LXVIIII 3. Exaratus videtur ex codice, cui idem textus interpolatus inerat, cuius vestigia in codice *D* agnoscuntur; sed is codex prologo iam suppleto correctus erat secundum Benedicti Anianensis exemplar. Insulari manu pulcherrimis litteris scriptus *L* interdum eosdem errores ostendit, quos *D* prae se fert, velut II 38: agnoscat] agnoscens D^1L; IX 7: de sedilia sua] de sedilia (*om.* sua) *DL*; XIII 12: a priore *om. DL*; XVII 2: et non] non *DL*; XLIX 5: diebus] diebus quadragesimae *DL*. Capitulorum tituli aucti eisdem verbis, quae sunt in codice *C*, Benedictum Anianensem auctorem demonstrant. Affinitas codicum *D* et *L* hoc quoque credibilis est, quod monasterium Benedictbeuronense conditum est a sancto Bonifatio, Fuldense eo auctore a discipulo, cui nomen Sturmi erat. Ceterum *L* in pr. 39sq. accuratius correctus est quam *D*; nam easdem fere lectiones praebet quas *C*. Antiqui exemplaris interpolati vestigia autem optime elucent XLIII 12sq.: „ita tamen — occurrerit" *om. OVSMW*; H_{1-3}; *L*.

E = Einsidlensis 236 s. IX., pag. 148 (sed p. 109—148 altera manus s. XIII/XIV), litt. Caroling., 260×175. Continet regulam pag. 1—93, sequitur martyrologium pag. 93—108.

Altera pars p. 109—148 continet Henrici de Wuerzburg carmen de statu Romanae curiae. Secundum traditionem Einsidlensem codicem *E* sanctus Meinratus, qui monasterium condidit, ipse secum adportaverat; etiam A. Bruckner, Scriptoria medii aevi Helvetica V (1943), p. 16, verisimile putat Meinratum hunc codicem ex monasterio Divitis Augiae accepisse. In monasterio Divitis Augiae saeculo IX. nonnulla regulae exemplaria fuisse scimus, praeterea tunc temporis Augienses monachi coenobium Casiniense frequentabant ibique vivebant et regulas Casiniensium noscitabant. Hac via etiam in alia Germaniae monasteria exemplaria Italica pervenire poterant. In codicibus recensendis ne parvae res quidem neglegendae sunt: quomodo fieri potuit, ut codd. *EFy* in cap. L 3 non formam „genua", sed „ienua" praebeant? E. A. Loew (Lowe), Studia palaeographica (v. supra), p. 14sq. nos docuit i longam et g litteras in Beneventana et Visigotica scriptura esse inter se mutatas; et praeter codd. *EFy* formam „ienua" praebent codd. Casinenses *179* et *442*. Hoc argumento palaeographico et variis lectionibus permotus codices *EF* vestigia exemplaris cuiusdam antiqui Beneventanis litteris scripti ostendere censeo, quod fortasse in monasterio Casiniensi transscriptum Divitem Augiam pervenerit saeculo VIII. ex. *E* interdum singulares lectiones praebet ut IV 65: nullum] nullum hominem; IV 70: seniores] seniores fratres; IV 67: oculus] oculus hominum; IV 78: congregatione] congregatione fratrum; V 4: nesciant] nesciant fratres.

f = Monacensis Bibl. Nationalis 6255 s. X/XI, olim Frisingensis 55, fol. 159, binis columnis, litt. Caroling., 350×240 (270×200). Continet Ioannis Diaconi aeclesiae romanae de vita B. Gregorii papae l. IV (fol. 1—66), librum regulae pastoralis B. Gregorii papae (fol. 67—102), institutionis formam de vita canonicorum a. 817 Aquisgrani comprobatam (fol. 102—143), Theodemari ad Karolum regem epistolam (fol. 143sq.), regulam Benedicti (fol. 144—157), librum Baruch (157—159).

Textus regulae modo optimas lectiones praebet, quas ad codicem *T* adtinere censeo, modo interpolatas.

2. ex urbe Roma:

Item textus receptus inde ab s. X. invenitur in urbe Roma eiusque vicinis regionibus.

I = Rom. Vaticanus lat. 378 s. X. ex., lin. 27, litt. Caroling., 288 × 185 (205 × 130). Continet martyrologium, regulam fol. 73—109, homilias, capitularia. In fol. 1 scripsit man. s. XIII: „iste liber est ecclesie sancte Marie de Campitello", quae erat in urbe, *cf.* Hugo Ehrenberger, Libri liturgici bibliothecae Vaticanae (1897), p. 162.

J = Rom. Barberininus 646 s. XI/XII, lin. 26, litt. Caroling., sed extat manus secunda, quae notas et correcturas litteris Beneventanis adposuit, *cf.* E. A. Loew, Beneventan Script, p. 261. Continet necrologium et regulam fol. 46—91. Scriptus est in monasterio quodam haud longe ab urbe sito, cum in fol. 11 nota lectorem de morte Nicolai episcopi Terracinensis certiorem faciat.

Lectiones codd. *IJ* saepe eaedem sunt, saepe differunt; sed regionum, in quibus scripti sunt, vicinitas apparet ex LVII 3: erigatur] eruatur *IJ*. Ceterum textum receptum praebent.

3. ex Italia septentrionali:

Restitui potest ille regulae liber, qui initio s. IX. in monasterio Bobbiensi in usu fuerat, ex tribus codicibus *opr*.

o = Taurinensis (Torino) G VII 18 s. IX., fol. 99, lin. 20, litt. Caroling. Continet regulam in fol. 1—70, *cf.* Reifferscheid, Bibl. patr. lat. It. II, 1871, 112; sequuntur hymni. In fol. 1 scriptum est: „liber sc̄ti columbani de bobio", deinde versus Simplicii leguntur.

p = Taurinensis G V 38 s. XII., olim Bobbiensis, fol. 90, lin. 22, litt. Caroling., 200 × 150. Continet versus Simplicii manu s. XIV., Benedicti regulam (fol. 1—45^{v}), hymnos (fol. 46—77), capitularia (fol. 77—81), regulam Columbani (fol. 81—90), sermones sive instructiones Columbani (fol. 90).

r = Bruxellensis, bibl. regiae 8302—5 s. X. in., fol. 101, litt. Caroling., 258 × 142 (193 × 125), ex Bollandistarum bibliotheca. Continet canones (fol. 1—23^{v}), reconciliationem poenitentiae

(23v—30), Gregorii Magni octavam lectionem in evangelium s. Lucae (fol. 30v—40), vitam s. Syri (fol. 40—45v), regulam Benedicti (fol. 46—101).

Omnes signum textus recepti ostendunt in pr. 39sq.: „sed si conpleamus habitatoris officium erimus heredes regni caelorum. Ergo praeparanda sunt". Communes errores erant iam in illo vetusto codice Bobbiensi, quo orti sunt *opr*, velut: VII 35: tacite conscientia patientiam] tacite conscientiam *opr*; VII 58: super terram] in terram *opr*; XXXV 1: nisi aut] nisi aut si *opr*; LIX 3: ei] ut *opr*. Subarchetypi codd. H_{1-4} similis est in cap. XXXXII 3: aliud quod aedificet] codicem (-ce $H_{1.2}$) alium quod (qui H_{1-4}) aedificet H_{1-4}; *opr*.

d = Sandanielensis (San Daniele di Friuli) 250 s. X., litt. Caroling., 210×140 (180×100), ex vicino quodam monasterio (*cf.* fol. 9v: obiit benedicta lucia, abbatissa mon. sci Ambrosii). Continet calendarium, lectiones, capitulare, regulam Benedicti. Textus concordat cum codicibus in Burgundia aut in Italia septentrionali scriptis.

z = Veronensis bibl. municip. 2005 s. X., fol. 193, litt. Caroling., 205×145 (165×85), ex monasterio Veronensi S. Zenonis. Continet Usuardi martyrologicum, regulam Benedicti in fol. 78—161v, necrologium monasterii S. Zenonis. Exaratus est ex codice quodam vetustiore, ex quo prodiit codex Berolinensis Hamilton 71 s. X., qui a monachis coenobii S. Mariae foris portam Faventiae (Faenza) dono datus est monasterio S. Michaelis prope Murianum (Murano); inde anno 1749 in bibliothecam Berolinensem venit, ut vir doctissimus Helmut Boese bibliothecarius Berolinensis litteris me certiorem fecit, *cf.* B. Mittarelli, Bibliotheca codicum manuscriptorum monasterii S. Michaelis Venetiarum prope Murianum (1779), p. 121sq., nr. 260. In utroque codice praecedit capitulo II cap. LXIIII „de ordinando abbate"; eodem loco cap. LXIIII positum erat in Benedicti Anianensis concordia regularum, in qua textu puro nondum usus erat. Sed extant in Veronensi et in Berolinensi codicibus interdum optimae lectiones, ut XLI 6: ab idus; XLIII 4: in nocturnis uigiliis.

4. ex Gallia:

l_1 et l_2 = Montepessulanus bibl. urb. 12, 45^r—53^v, et Avenionensis 175, 22^r—37^r, s. IX, 200×125, qui ex codice divulso, in monasterio Gelonensi inter annos 807/812 scripto prodierunt, litt. Caroling. confecto, *cf.* A. Mundó, Liturgica I (1956), 151—276.

P = Parisinus Bibl. Nationalis 13.745, circiter anno 860 scriptus, fol. 157, lin. 18, litt. Caroling., 245×180 (175×127). Est ille textus, qui in monasterio S. Germani a Pratis (Saint-Germain des Prés) in usu erat. Ioannes Mabillon hunc codicem suo iure ab Usuardo ipso exaratum esse opinatus est. Continet Usuardi martyrologium fol. 1—90, Benedicti regulam fol. 91—156, sequebatur necrologium monasterii S. Germani a Pratis, nunc praeter initium deperditum. Textum regulae receptum ostendunt pr. 39sq.; tamen etiam egregiae lectiones inveniuntur ut VII 43: sustinet et maledicentes se benedicent. Has lectiones singulares in apparatu critico non recepi: tit. LXIX: defendere] defenderet; II 34 cogitet] cogitat P^1; II 39: retributionis diuinae] retributionis aeternae; XLIII 5: in loco] loco; LVIIII 8: simpliciter] similiter; LXVI 4: reddat] det; LXXIII 6: nisi] quam; LXXIII 8: ergo] autem.

F = Aurelianensis (Orléans) 273 (322) s. IX. ex., fol. 399, lin. 19, litt. Caroling., 237×175 (165×115). Scriptus est a monacho Floriacensi (Fleury) monasterii s. Benedicti ad Ligerim (Saint-Benoît-sur-Loire), ut videtur (*cf.* fol. 349 in fine). Continet fol. 2—9 calendarium s. X., fol. 9—266 martyrologium Usuardi, fol. 270 sequitur: „incipit epilogus regulae sc̄i patris Benedicti", deinde versus Simplicii, fol. 271—399 regula.

Haec regula in pr. 39sq. concordat cum optimis codicibus: „sed si conpleamus habitatoris officium. Ergo praeparanda sunt . . ."; saepissime autem lectiones interpolatae inveniuntur, ut cod. *F* exemplar textus recepti habendus sit.

y = Parisinus bibl. Nationalis 4208 s. IX., ex bibliotheca cardinalis Mazarin, fol. 61, lin. 20, litt. Caroling., 280×180 (190×120). Quamquam *y* ut cod. *P* incipit verbo „ausculta",

uterque correctus est secundum textum purum; cod. *y* hunc etiam in pr. 39sq. praebet.

Q = Ambrosianus Q 66 sup. s. X., fol. 34, litt. Caroling., 250×150 (190×95), solam regulam continens; in libri involucro adnotatum est codicem cum multis aliis ex Avenione (Avignon) in bibliothecam Ambrosianam venisse. Sicut nonnulli codices huius aetatis in Gallia meridionali scripti incipit regula verbo „obsculta", sed textus recepti vestigia servavit in pr. 39sq.; extant etiam lectiones vel errores exemplaris cuiusdam interpolati, *cf.* XI 5: legantur quattuor lectiones cum responsoriis suis ordine quo supra; post quibus] *om. OVS*; *Qg*.

n = Andegabensis (Angers) 400 s. X., ex monasterio SS. Sergii et Medardi congregationis S. Mauri (fol. 1), fol. 49, lin. 23, litt. Caroling., 222×150, solam regulam continens.

5. ex Britannia:

In Britannia saeculo X. (circiter anno 960) regula in linguam Saxonicam translata est ab Aethelwoldo, abbate monasterii Abbendunensis (Abingdon), *cf.* Schroeer, Die angelsächsischen Prosabearbeitungen der Benediktinerregeln (Bibliothek der angelsächsischen Prosa II 1888). Legitur in Thomae Eliensis Historia Eliensi (Ely), *cf.* Wharton, Anglia sacra I 604: „ipse (Eadgarus rex) etiam dedit S. Ethelwoldo manerium de Suthburne, eo pacto ut ipse transferret regulam S. Benedicti de Latino in Anglicum". Vetustissimus igitur codex, in quo haec versio Saxonica invenitur, est

x = Oxoniensis (Oxford) Collegii Corporis Christi CXCVII s. X., fol. 109, lin. 24, litt. Saxonicis, 259×180 (208×126), qui codex eo venit ex monasterio Burensi (Bury) S. Edmundi in civitate Suffolk, *cf.* N. R. Ker, Catalogus of Manuscripts Containing Anglo-Saxon (Oxoniae 1957), p. 430sqq.; Mechthild Gretsch, Die Regula sancti Benedicti in England und ihre altenglische Übersetzung (1973). Continet fol. 1—105 textum Latinum cum versione Saxonica, quae unicuique capitulo postposita est, deinde fol. 106—109 notas s. XI/XII adnexas, quae ad monasterium

S. Edmundi pertinent; saeculo XVII. hic codex Collegio Corporis Christi pro dono permissus est a Guielo Fulman. In monasterio S. Edmundi autem circiter anno 1020 restituto scriptus non est, sed monachis ex alio monasterio, haud dubie Britannico, dono datus.

Exaratus est ex codice vetustiore, ex quo etiam descriptus est codex

j = Londinensis Musei Britannici Cotton Tit. A IV s. XI. med., fol. 126, lin. 28, litt. Saxonicis, 192×118 (146×75), qui ex peculio Thomae Alleni Oxoniensis cuiusdam in hanc bibliothecam venit, continens textum Latinum cum versione Saxonica, quae sequitur unumquodque capitulum (fol. 2—107). Deinde inveniuntur capitula Aquisgranensia a. 817 (fol. 107—111), quae in cod. *h* leguntur, sequitur „memoriale qualiter in monasterio conuersari debemus" ad Benedictum Anianensem referendum, exaratum autem iterum ex codice *h*, postremum „Ludovici imperatoris de festivitatibus anni", item descriptum ex codice *h*, v. N. R. Ker, Anglo-Saxon, p. 262, nr. 200.

Uterque codex ex regula quadam viris observanda exemplatus erat, sed *xj* leviter nec omnibus locis correcti erant ad feminarum usum. Praeterea lectiones communes diversas ab aliis manuscriptis ostendunt, *cf.* cap. XLII: ut post completorium nemo loquatur] de silentio monachorum *xj*; cap. XLVIII: de opera manuum cotidiana] qualiter opera manuum cotidiana agantur *xj*; cap. LXIII usque ad cap. LXV *omiserunt xj*. Tamen *j* non est exemplatus ex codice *x* nec ambo ex eodem manuscripto provenerunt; nam V 12 „et voluptatibus" *x* omisit, *j* praebet; XVI 3: de his diuinis horis *x* — de his diurnis horis (*recte*) *j*; XVIII 5: partiantur *x* — diuidantur *j*. Pertinent ad subarchetypum codd. *xj* etiam alii, ut Cantabrigiensis Collegii Corporis Christi CLXXVIII s. X., qui artissime ad codicem *x* adtinet, Dublinensis Collegii s. Trinitatis B. 3. 8. s. XII., alii. Praeter hos codices extant alii, quorum verba codd. *WL* similiora sunt, ut Cantabrigiensis Collegii SS. Trinitatis O 2.30 s. X.

Iam vidimus codicem *j* partes continere, quae ad Benedictum Anianensem atque instituta Gallica pertinent et sumptae erant

ex codice *h*; tamen P. Meyvaert, Toward a History of the Textual Transmission of the Regula S. Benedicti, Scriptorium XVII (1963), 100sqq. ostendit textum cod. *h* nequaquam ex Gallia in Britanniam venisse.

g = Cantabrigiensis (Cambridge) Collegii Corporis Christi 57 s. XI. in., fol. 162, lin. 27, litt. Saxon., 129×100. Continet Benedicti regulam fol. 2—32v, sequitur „memoriale qualiter in monasterio conuersari debemus", ad Benedictum Anianensem referendum (extat etiam in codd. *hj*), fol. 33—37, capitularia Aquisgranensia (ut in *h*) 37v—40v, epitoma Lothwici imperatoris super regulam b. Benedicti fol. 41—94v, Smaragdi diadema monachorum fol. 95—162.

Scriptus est Abbendoniae (Abingdon) in Benedictorum monasterio. Non est neglegendum codicis *g* lectiones interdum mirum in modum convenire cum cod. *O* et cum praecursore codicis *S* et codd. H_{1-3}, *cf.*: pr. 41: iuueat] A adibeat *S* adhibeat *Sang. 110 g* habet *i*; pr. 48: initio] *Ai* itinere *S Sang. 110 g* (qua re *g* ex *i* non est exaratus); II 7: potuerit] poterit *Sg*; V 14: cum responso] cum responsione *δ*; H_{1-4}; *g*; XIII 12: oratio *om.* $H_{1.2}$; *g*; XVIII 14: a centesimo septimo] a centesimo octauo $H_{1.4}$; *g*; XXXIII 5: aut] aut non $H_{1.3}$; *g*.

Pertinent ad lectiones codicis *g* etiam Londinensis Mus. Brit. Iulius D II s. XIII., qui est codex Cantuariensis ex S. Augustini collegio.

h = Londinensis Harleianus 5431 s. X *ex.*, fol. 126, lin. 20, litt. Caroling., 230×80 (150×55). Ex eodem collegio Cantuariensi (Canterbury) proveniens continet horologium et calendarium, Benedicti regulam (fol. 6v—106v), capitularia Aquisgranensia (fol. 107—114), „memoriale qualiter in monasterio conuersare debemus" (fol. 114—126v), Ludovici imperatoris de festivitatibus anni (fol. 126v *erasum*). Copulatus est cum codice s. XIV. scripto, continente opera Bernardi de Clarevalle, Willielmi de Lugduno, Hugonis.

Etsi saepe eadem menda praebent, tamen Mechthilda Gretsch 104sqq. ostendit codd. *gh* arto vinculo non esse conexas.

i = Londinensis Musei Britannici Cotton Tiberius A III, s. XI med., ex collegio Cantuariensi Christo dicato proveniens (*v.* Ker, nr. 186), fol. 173, litt. Saxonicis, lin. 22, 240×177 (180×130). In hoc codice miscellaneo, qui fol. 118—163ᵛ Benedicti regulam continet cum versione Saxonica interlinearia, sequuntur fol. 164—168ᵛ Memoriale qualiter in monasterio conversari debemus (ad Benedictum Anianensem referendum), quod extat etiam in cod. *g*, fol. 168ᵛ—169 de festivitatibus anni (ut in codd. *hj*), fol. 169—173 capitularia Aquisgranensia a. 817 (ut in codd. *hj*), *cf.* N. R. Ker, Anglo-Saxon, p. 240, nr. 186.

Permultae lectiones huius codicis concordant cum codice *h*, quamquam neuter ex altero exaratus est, *cf.* XV 2: nocturnos] nocturnales *hi*; XXVI 1: aut loqui cum eo uel mandatum ei dirigere] *om. hi*; XLVII 3: implere] bene implere *hi*; LXXI 9: qui] si *hi*.

Sed codicem *i* adfinem esse etiam codici *g* iam inde apparet, quod in utroque eadem additamenta inveniuntur, ut VII 55: cohortantur exempla *A*] cohortantur exempla sicut scriptum est: humiliatus sum usquequaque domine, uiuifica me secundum uerbum tuum. et dominus dixit: discite a me quia mitis sum et humilis corde et inuenietis requiem in animabus uestris, et apostolus dixit Petrus: humiliamini sub potenti manu dei ut uos exaltet in tempore uisitationis, omnem uestram sollicitudinem proicientes in eum quoniam ipsi cura est de uobis. sobrii estote et uigilate quia aduersarius uester diabolus tamquam leo rugiens circuit querens quem deuoret. cui resistite fortes in fide, scientes eandem passionem ei quae in mundo est uestrae fraternitati fieri *gi*.

6. De textu monasteriorum Cisterciensium:

Quomodo regulae textus in orbe terrarum post saeculum X. modo melior, modo peior redditus, qua forma in diversis monasteriis receptus sit, hic latius enarrari non potest. Iam satis sit de textu codicum ordinis Cisterciensium pauca dicere, quorum permagnus numerus mirum in modum concordat. Ipse multos collegi, quos in apparatu critico signavi littera

t = codices ordinis Cisterciensium. Ex magna copia lectionum propriarum, ex quibus iterum manus quaedam textum ad normam redigens cognoscitur, has proferam:

XLIII 13: ad mensam autem] ad horam uero refectionis t; LV tit.: de uestiario uel calciario fratrum] de indumentis fratrum t; LVII 1: permiserit] iusserit t; LXIIII 9: misericordem et semper superexaltet] misericordem humilem et semper superexaltantem t. Originem Gallicam omnes inde ostendunt, quod saepe cum lectionibus codd. H_{1-4} e concordant, *cf.* XXI 2: in omnibus] in omnia H_{1-3} e; t; XXXVIII 8: requirere] referre e; t; XLII 8: positi] congregati e; t; XLIIII 4: ipsius abbatis] ante pedes ipsius abbatis e; t. Qua ratione, qua via depravatio textus progressa sit, bene ostenditur LXIIII 1: quem sibe omnis concors congregatio . . . sibe etiam pars . . . elegerit] quem sibi omnis coors (*om.* H_1; H_2 *deest*) congregationis . . . elegerit $H_{3.4}$ quem sibi omnis cohors congregationis . . . elegerit e; t.

Iam satis sit. Cum regulae codices ita variarent, monachi iterum atque iterum lectiones aliunde sumptas super lineas scribebant aut voces in textu ipso corrigebant; quae correcturae cum describerentur, vestem regulae semper mutabant. Sed ut textus vere emendaretur secundum optima exemplaria, ingenio Ioannis Schlittpacher opus erat, qui circiter anno 1434 in monasterio Mellicensi non solum Benedictorum ordinem et vitam, sed etiam regulam reformavit (*cf.* Heriberti Plenkers, Une édition de la Règle bénédictine au XVe siècle, Revue Bénédictine, XVIII 1901, p. 21—25).

De regulae editionibus

Postquam edito princeps Venetiis anno 1489 emissa est, ingens numerus aliarum sequebatur, quas singulari cura ac diligentia collegit A. M. Albareda, Bibliographia de la Regla benedictina (Montserrat 1933); ad textum constituendum autem nihil valent.

Editionem criticam primus omnium curavit Edmundus Schmidt Mettensis anno 1880, paulo post Eduardus Woelfflin

1895. Textum codicis *A* primus edidit et lectionibus codicum Casiniensium illustravit Germanus Morin: Regulae Sancti Benedicti traditio mss. Casinensium (Montiscasini 1900).

Magni momenti est editio „critico-practica" Cutberti Butler, monachi (postea abbatis) monasterii S. Gregorii Magni de Downside anno 1912 (ed. tertia a. 1935), summi autem editio et commentarius philologicus monachi doctissimi Bennonis Linderbauer Mettensis a. 1922 eiusque editio critica a. 1928 edita in Florilegii patristici tom. XVII.

Inde ab hoc tempore non criticae quidem, sed aliis de causis memorabiles editiones sunt hae:

Anselmus Lentini Casinensis: La Regola, testo, versione e commento (Montecassino 1947), qui primus omnium regulae capitula in paragraphos egregie divisit; eius divisio, quam ego quoque grato animo suscepi, manebit una cum regula ipsa.

Garcia M. Colombas, Leon M. Sansegundo, Odilon M. Cunill, San Benito, su vida y su regla (Madrid 1954).

Philibertus Schmitz Maredsolanus, Sancti Benedicti Regula monachorum, textus critico-practicus sec. cod. Sangall. 914, ed. altera 1955 cum praefatione, quam Christina Mohrmann scripsit de lingua sancti Benedicti.

Gregorio Penco Finalpinensis, S. Benedicti Regula (Bibliotheca di studi superiori, vol. XXXIX 1958).

Omnibus autem editionibus commentariis instructis praecellit Adalbert de Vogüé, La Règle de saint Benoît. Tome IV—VI, Commentaire historique et critique. Sources Chrétiennes 184—186. Parisiis 1971, 1477 pp. (v. R. Hanslik, Wien. Stud. 1975, 236—240) et Adalbert de Vogüé — Jean Neufville, La Règle de Saint Benoît. Tom. I—III. Sources Chrétiennes 181—183. Parisiis 1972, 918 + 422 pp. (v. Barbara Giorgi, Wien. Stud. 1975, 240—243).

Conspectus siglorum codicum

A = Sangallensis 914 s. IX[1], fol. 1[r]—86[v]
a = Amg = adnotationes marginales in cod. A
A^2 = correcturae supra lin. fort. eiusdem manus ac a
A^{mp} = correcturae manuum posteriorum
B = Vindobonensis bibl. Nationalis 2232 s. IX in., fol. 2[v]—62[r]
C = Monacensis bibl. Nationalis 28.118 s. IX, fol. 1[r]—18[r]
U = Ultraiectanus 361 anni 1471, fol. 2[r]—32[v]
T = Monacensis bibl. Nationalis 19.408 s. VIII ex., fol. 2[v]—61[r]
D = Augustanus bibl. ordinariatus episcop. 1 s. IX[1], fol. 17—84
G_1 = Sangallensis 915 s. IX
G_2 = Caroliruhensis Augiensis CXXVIII s. IX
$\mathfrak{G}_2$ = eiusdem codicis manus s. XIV
G_3 = Turicensis bibl. cantonalis Rh. hist. 28 s. IX[III]
G_4 = Turicensis bibl. cantonalis Rhenanus 111 s. IX[IV]
175 = Casiniensis 175 s. X in.
179 = Casiniensis 179 s. XI
442 = Casiniensis 442 s. XI
47 = Casiniensis 47 s. XII
K = omnes aut plurimi Casinienses praeter *175; 446 X 334*
m = New York, bibl. Pierpont Morgan M 642 s. XI ex.
446 = Casiniensis 446 s. X
X = Casiniensis 499 s. XIII/XIV
334 = Casiniensis 334 s. XII
μ_1 = regula Magistri in Parisino lat. 12.634 s. VI[IV], fol. 20[r]—73[r]
μ_2 = regula Magistri in Parisino lat. 12.205 s. VII in., fol. 64[v]—157[r]
μ_3 = regula Magistri in Monacensi bibl. Nation. 28.118 s. IX[1], fol. 141[v]—184[v]
$\mu_{(1-3)}$ uel $_{(2.3)}$ = genuina Magistri lectio
χ = Chrodegangi Metensis statuta canonicorum s. VIII
σ = Smaragdi commentarius s. IX
δ = Donati regula s. VII med.

i = Hildemari (editionis Mittermuelleri) commentario praemissus textus
O = Oxoniensis Hatton 48 s. VIII^{I}, fol. 1^{r}—76^{v} (*O*°—*O*^{5} *v. p.* XXXIX)
V = Veronensis bibl. capitularis LII s. VIII ex., fol. 100^{v}—180^{v}
S = Sangallensis 916, c. 800, pag. 2—157
M = Trevericus 1245 s. IX
W = Herbipolitanus Mp. th. q. 22 s. VIII/IX^{I}
H_1 = Escurialensis a I 13 s. X^{I} (912), fol. 3^{r}—33^{r}
H_2 = Escurialensis I III 13 s. IX/X, fol. 7^{v}—57^{v}
H_3 = Londinensis Musei Britannici Add. 30.055 s. X, fol. 194^{r}—221^{v}
H_4 = Narbonensis deperditus, cuius collationes in Parisin. lat. 12.772, pag. 137 sqq.
Y = Barcinonensis A. C. A. St. Cugat 22, s. X/XI
e = Parisinus bibl. Nationalis lat. 4209 s. XI
l_1 = Montepessulanus bibl. urb. 12 s. IX
l_2 = Avenionensis 175 s. IX
L = Fuldensis D 3 s. IX^{II}
E = Einsidlensis 236 s. IX
F = Aurelianensis 322 s. X
I = Rom. Vaticanus lat. 378 s. X
J = Rom. Barberinianus 646 s. XI/XII
P = Parisinus bibl. Nationalis lat. 13.745 s. IX^{III}
Q = Ambrosianus Q 66 sup. s. X
Z_1 = Monacensis bibl. Nationalis 29.169 s. VIII (frgm.)
Z_2 = Monacensis bibl. Nationalis 6330 s. VIII (frgm.)
R = Rom. Barberinianus 421 s. XI
a = Ascoliensis bibl. municip. XXVI A s. X
v = Rom. Vaticanus lat. 6980 s. XIII/XIV
b = Rom. Vaticanus lat. 5419 s. XII/XIII
c = Rom. Vaticanus lat. 5949 s. XIII
d = Sandanielensis 250 s. X
f = Monacensis bibl. Nationalis 6255 s. X/XI
g = Cantabrigiensis Collegii „Corpus Christi“ 57 s. XI in.
h = Londinensis Harleianus 5431 s. X

i = Londinensis Musei Britannici Cotton Tib. A III s. X
j = Londinensis Musei Britannici Cotton Tit. A IV s. XI med.
n = Andegabensis 400 s. X
o = Taurinensis G VII 18 s. IX
p = Taurinensis G V 38 s. XII
r = Bruxellensis bibl. reg. 8302—05 s. X in.
t = Codices Cistercienses
x = Oxoniensis Collegii „Corpus Christi" CXCVII s. X
y = Parisinus bibl. Nationalis lat. 4208 s. X
z = Veronensis bibl. municip. 2005 s. X

Primariorum codicum omnes lectiones differentes in apparatum criticum suscepi manusque correctrices distinxi; ex ceteris manuscriptis selectio variarum lectionum sufficere videtur. In rebus orthographicis aliisque quisquiliis declarandis tantummodo praestantissimos codices adhibui.

BENEDICTI REGULA

1 Obsculta, o fili, praecepta magistri et inclina aurem cordis tui
et admonitionem pii patris libenter excipe et efficaciter comple,
2 ut ad eum per oboedientiae laborem redeas, a quo per in-
oboedientiae desidiam recesseras.
3 Ad te ergo nunc mihi sermo dirigitur, quisquis abrenuntians

---

1 obsculta... et inclina aurem, *cf.* prov. 4, 20; 1, 8; 6, 20 (*v. P. Volk, Die Schriftzitate der Regula S. Benedicti, in appendice ephemeridis Texte und Arbeiten ed. archiabbatia Beuronensis 15/18, 1930, p. 1sqq.*), *praecipue autem* Hier. epist. 22, 1 *et* psalm. 44, 11 (*v. P. Volk, Das Psalterium des hl. Benedikt, StudMitt. 48, 1930, p. 83—97*); *praeterea* Ps. Aug. serm. *ed. Caillau-Saint Yves II 36, p. 197, v. A. Mundó, Stud. Anselmiana 42 (1957) p. 118 adn. 34. Prologi initium* (§ 1—4) *simile est „Admonitionis sancti Basilii ad filium spiritualem" ed. P. Lehmann, Sitz.-Ber. Bayer. Akad. Wiss., phil.-hist. Kl. 1955, VII, cf. etiam* Orsies. doctr. 1 **2** ut—recesseras, *cf.* Aug. civ. 11, 28 *et* Cypr. epist. 65, 5 *et* Aug. nat. et grat. 20, 22 **3** ad te—

ABCσTDG$_1$*𝔊*$_2$ *G*$_{3.4}$; *175 KmX*; *OVSM*; *ĩ*; *H*$_{1-3}$*Ye*; *334*; *Rvc*; *LEF IJPQ*; *dfghijnoprtxyz*

---

titulum supplevi; *H. S. Brechter, Zum authentischen Titel der Regel des heiligen Benedikt, StudMitt. 55 (1937) p. 157—229 suasit*: Regula Benedicti *vel* Sancti Benedicti sancta regula; *ante textum librarii varie addiderunt*: In nomine (inomine *A*) domini nostri Iesu Christi (nostri-Christi *om. EF*) incipit prologus regulae patris eximii beati (et [ac *F*] beatissimi *DLEF*) Benedicti (abbatis *add. E*; abbatis Benedicti *tr. F*) *ADLEF* incipit prologum (-gus *H*$_2$) sanctorum regulae patrum monachorum *C*; *H*$_2$ incipit prologus de regula sancti patris (nostri *add. H*$_1$) Benedicti abbatis *H*$_{1.3}$ incipit textus regule. Regula appellatur ab hoc quod oboedientium dirigat mores (*fol. 2*). incipit regula a sancto Benedicto aedita cuius uita atque uirtutes beatus papa Gregorius in libris dialocorum disscripsit *T* incipit prologus regule sancti Benedicti monachorum *175* regula sancti Benedicti *X* praefati o regulae *O* (*eras.*); *b* incipit regula a sancto Benedicto romense edita nunc prologus *V* in nomine domini incipit prologus regulae patris eximii Benedicti id est seque ntis operis praefacio *M*, *alii aliter*; *talia addidamenta desunt in codd. B*; *K*; *334*; *J*, *aliis* **1** obsculta] *ABCσ*; *175 Km*; *μ*$_2$ (obscultas); *Rv*; *Q*; *ghi*^{1}*j*^{1} absculta *H*$_{1-3}$ *Y* asculta *𝔊*$_2$; *X* ausculta *αTDG*$_{1.3.4}$; *μ*$_3$ (auscultas); *OVSM*; *ĩ*; *e*; *334*; *LEF*, *cett.* | o *om. H*$_2$^{1} | filii *H*$_1$ | admonitionem *ABT*; *OV* ammonitionem *CD* | pii patris tui *V* patris pii pastoris *H*$_1$ | efficanter *X* | conple *O*; *H*$_{1-3}$ **2** oboedientae *S* **3** mihi]

propriis uoluntatibus domino Christo uero regi militaturus
oboedientiae fortissima atque praeclara arma sumis.
4 Inprimis, ut quidquid agendum inchoas bonum, ab eo perfici
instantissima oratione deposcas,
5 ut, qui nos iam in filiorum dignatus est numero computare,
non debet aliquando de malis actibus nostris contristari.
6 Ita enim ei omni tempore de bonis suis in nobis parendum est,
ut non solum iratus pater suos non aliquando filios exheredet,
7 sed nec ut metuendus dominus irritatus a malis nostris ut
nequissimos seruos perpetuam tradat ad poenam, qui eum
sequi noluerint ad gloriam.

---

dirigitur, *cf.* Hier. epist. 22, 15 (psalm. 140, 1sq.) abrenuntians-uoluntatibus, *cf.* Verba Senior., Vitae patr. 5, 1, 9 *et* Rufin. hist. mon. 31 arma sumis, *cf.* gen. 27, 3; sap. 5, 20; Eph. 6, 16 **4** *cf.* Ps.-Basil. admon. 11 **5** in . . . numero computare, *cf.* sap. 4, 8; 5, 5

ABCσTDG$_1$*𝔊*$_2$*G*$_{3.4}$; *175 KmX*; [$\mu_{2.3}$ (*inde ab* 5: ut qui)]; *OVSM*; *ĩ*; *H*$_{1-3}$*Ye*; *334*; *Rvc*; *LEFIJPQ*; *dfghijnoprtxyz*

AB^1*CσTG*$_3$; *175*; *OVS*; *H*$_3$; *v*; *L*^{1}; *d*^{1}*h*^{1} meus *αB*^{2}*C*^{2}*DG*$_1$*𝔊*$_2$; *KmX*; *M*; *H*$_2$*Ye*; *334*; *Rc*, *cett.*, *om.* *H*$_{1.4}$ | sermo] sermo iste *H*$_{1.4}$ | dirigetur *OV* diregitur *D*^{1}; *SM* | quiquis *B* | probriis *S* | uoluntatibus] uoluptatibus *αG*$_1$; *Km*; *H*$_{2.4}$; *Rv*; *EFJQ*; *ityz* | Christo] Iesu Christo *H*$_{1.3}$ | uero *om.* *V* | oboedientiae *om.* *O* | fortissima] summa *pr* | sumis] *ABC*^{1}*σT*; *175 KmX*; *H*$_2$*Y*; *c*; *f* adsumes *V* tibi adsumis *e*^{1}; *n* adsumis (ass-) *αC*^{2}*DG*$_1$*𝔊*$_2$*G*$_3$; *OSM*; *H*$_{1.3}$ (adsummis); *334*; *Rv*; *LEFIJPQ*, *cett.* **4** ut *om.* *R* | quidquid *AB*; *O* quicquid *CD*; *VS* | agendo *V* | ab eo] habeo *S*^{1} | perfeci *V* **5** in *om.* *H*$_{1.4}$ | numero dignatus est *tr.* *σ*; *V*; *Y* | computare] conputare *OVS* conputari *H*$_{1.3}$^{1}.4 | debet] *ABC*^{1}*σT*; *175 KmX*; $\mu_{(2.3)}$; *VSM*; *H*$_3$^{1}*Y*; *LEF*^{1}*Q*; *opry*^{1} debeat *αC*^{2}*DG*$_1$*𝔊*$_2$*G*$_{3.4}$; *O*; *ĩ*; *H*$_{1.3}$^{2}*e*; *334*; *Rvc*; *JP*, *cett.* debeas *H*$_2$^{1} | nostris actibus tr. $\mu_{(2.3)}$ | nostri**s *O* | contristare *H*$_2$*e* **6** enim *om.* *B* | omni tempore] omni hora $\mu_{(2.3)}$ in omni opere *H*$_2$^{1} | iratus] ut iratus *H*$_3$; *334*; *c*; *JPQ*^{1}; *dgh*^{1}*ijnt* | suos non] suos nos $\mu_{(2.3)}$ suos (*om.* non) *T*^{1}*D*; *V*^{1} (Ñ *add. in textu* *V*^{1}); *H*$_{1-3}$*e*; *L*^{1}*J*; *dr* non (*om.* suos) *E*; *ft* nos *H*$_4$ | non aliquando suos filios *tr.* *M*; *IP* ut filios *Y* **7** nec ut *deest in* $\mu_{(2.3)}$ ne ut *dh*^{2}*jx* ut nec *H*$_1$ | metuendus] metuens *H*$_1$ | inritatus $\mu_{(2.3)}$; *OVS*; *H*$_2$ inritaturus *H*$_1$ iratus *d* | a *eras. in A*; *L*, *om.* *αDG*$_1$*𝔊*$_2$*G*$_{3.4}$; *175 Km*; *M*; *ĩ*; *H*$_{1.3}$*Y*; *334*; *Rvc*; *EFIJPQ*; *j*^{1}*noprtxyz* | ut *om.* *j*^{1} | seruos] filios *H*$_4$ | perpetuam] perpetuo $\mu_{(2.3)}$, *om.* *Y* | ad] in $\mu_{(2.3)}$ | noluerunt $\mu_{(2.3)}$; *H*$_{1.2}$^{1}; *F*; *rd* noluerit *f* **8** exurgamus] *A*; *175 K*; μ_2; *H*$_3$ *Ye* exsurg- *αBCTD*; μ_3; *OVS* | ergo *deest in* $\mu_{2.3}$ |

8 Exurgamus ergo tandem aliquando excitante nos scriptura ac dicente: *Hora est iam nos de somno surgere;*
9 et apertis oculis nostris ad deificum lumen adtonitis auribus audiamus, diuina cotidie clamans quid nos admonet uox dicens:
10 *Hodie si uocem eius audieritis, nolite obdurare corda uestra;*
11 et iterum: *Qui habet aures audiendi, audiat, quid spiritus dicat ecclesiis.*
12 Et quid dicit? *Uenite, filii, audite me, timorem domini docebo uos.*
13 *Currite, dum lumen uitae habetis, ne tenebrae mortis uos conpraehendant.*
14 Et quaerens dominus in multitudinem populi, cui haec clamat, operarium suum iterum dicit:

---

8 Rom. 13, 11 (*cf. S. Pawlowsky, Die biblischen Grundlagen der Regula Benedicti, Wien, Herder 1965, 122pp.*) **10** psalm. 94, 8 **11** apoc. 2, 7, *cf.* Matth. 11, 15 **12** psalm. 33, 12 **13** Ioh. 12, 35

---

8 *cf.* Orsies. 37 sq. **12—18** *cf.* Aug. in psalm. 33, 16—18

ABCσTDG$_1$𝔊$_2$ (*usque ad* 10 audi⟨eritis⟩), G_2 (*inde ab* ⟨audi⟩eritis), $G_{3.4}$; *175 KmX*; [$\mu_{2.3}$]; *OVSM*; *ℓ*; H_{1-3}*Ye*; *334*; *Rvb* (*inde ab* 8: ⟨exurga⟩mus), *c*; *LEFIJPQ*; *dfghijnoprtxyz*

---

aliquando] aliquando ut pigri $\mu_{(2.3)}$ | excitante] exortante H_1 | ac] hac S^1; H_2 *Y*; *d* | hora est iam] iam enim hora est $\mu_{(2.3)}$ hora iam est *V* **9** nostris *om.* g^1 | deificum] dei officium H_1 deificum (deifi *supra ras.*) H_2 | lumen deificum *tr.* $\mu_{(2.3)}$ | attonitis *αBCD*; *OV* | diuina] diuina (-nae V^2) scriptura (-rae V^2) V^1, *om. d* | diuina—dicens] quoddidie diuina uoce clamantem que nos admonet dicens H_1 diuinam quotidie clamantem que nos admonet (amm- H_3) uocem ac dicentem $H_{3.4}$ diuina cotidie clamans quid nobis admoneat uox dicens H_2 | cotithię *A* | cotidie uox (*s. l.*) clamans *C* | quid] quod $\mu_{(2)}$ quae μ_3; $H_{1.3.4}$ | uox admonet *tr.* *σ* | admonet] *AσTD*; $\mu_{(2.3)}$ *O*; H_1; *fh*^{1} ammonet *175 KmX*; *SM*; H_3; *L*; g^1 admoneat (amm-) *αBCDG*$_1$𝔊$_2$*G*$_3$; *V*; *ℓ*; H_2 *Y*; *334*; *Rvbc*; *cett.* | uox *om. 175, 179, 442* uos *Rb* **10** hodie—iterum (11) *deest in* $\mu_{2.3}$ **11** iterum] iterum dicit *O* | audiendum G_3 | aecclesiis *BG*$_3$; *O*; *gh* **12** et quid dicit] quid $\mu_{(2)}$ qui dicit μ_3 | fili T^1; *VM*; $H_{1.2}$; *F* **13** currite] currite ergo *V*; *vc* | lumen habetis uitae *tr.* T^1; *gy* | uitae] uiae H_4, *om. e* | habetis] habeatis *A solus* (a *alt. eras.*) habeas G_3 **14** quaerens] ueniens G_3 | in *om.* *Q* | multitudinem] *A*; *175, 179, 442 X*; V^1; $H_{1.3}$^{1}*e*; Q^1 multitudine *αBC*^{2}*σTDG*$_{1.2.3.4}$; *m*; $\mu_{(2.3)}$; *OSM, cett.* | populi] populi sui H_1*e*; *FI*; h^3*no* | clamet *S*; *Q*; *g* exclamat *O*; H_1 exclamet z^1 | suum] suum

15 *Quis est homo, qui uult uitam et cupit uidere dies bonos?*
16 Quod si tu audiens respondeas: Ego, dicit tibi deus:
17 Si uis habere ueram et perpetuam uitam, *prohibe linguam tuam a malo et labia tua ne loquantur dolum; deuerte a malo et fac bonum, inquire pacem et sequere eam.*
18 Et cum haec feceritis, oculi mei super uos et aures meae ad preces uestras, et antequam me inuocetis, dicam uobis: *Ecce adsum.*
19 Quid dulcius nobis ab hac uoce domini inuitantis nos, fratres carissimi?
20 Ecce pietate sua demonstrat nobis dominus uiam uitae.
21 Succinctis ergo fide uel obseruantia bonorum actuum lumbis nostris per ducatum euangelii pergamus itinera eius, ut mereamur eum, *qui nos uocauit in regnum suum,* uidere.

---

15 psalm. 33, 13, *cf.* I Petr. 3, 10 **17** psalm. 33, 14 sq. **18** Is. 58, 9; *cf.* 65, 24 **21** I Thess. 2, 12

---

17 si—uitam, *cf.* Matth. 19, 16 **18** et cum—uestras, *cf.* psalm. 33, 16, Passio Iuliani et Basilissae 12 **20** uiam uitae, *cf.* psalm. 15, 11; prov. 6, 23; Ier. 21, 8 **21** succinctis—lumbis nostris, *cf.* Luc. 12, 35; Ex. 12, 11; Eph. 6, 14; Orsies. 19

ABCσTDG$_{1-4}$; *175 KmX*; [$\mu_{2.3}$]; *OVSM*; *î*; *H*$_{1-3}$*Ye*; *334*; *Rvbc*; *LEFIJPQ*; *dfghijnoprtxyz*

---

auditorem $\mu_{(2.3)}$ | dicit] reclamat dicens $\mu_{(2.3)}$ **15** est] es x^1 | uolt *V* | dies uidere bonos *tr.* *Q* | **16** quod—respondeas] tu qui audis responde $\mu_{(2.3)}$ | tu *om.* *R* | audies A^1 *(corr.* A^1*)*; Q^1 audieris *i* audis * * H_3, *fort. ex* audiens | dicet $\mu_{(2)}$; H_1; *P* | deus] dominus $\mu_{(2.3)}$; H_1 | dicit tibi deus] et dominus tibi dicet (-cit μ_3) $\mu_{(2.3)}$ **17** prohibe] proibe *S*; $H_{2.3}$ coibe H_1 | lingua μ_2; H_1 | tuam] tua H_1, *deest in* μ_2, *om.* *O*; H_2 | tua *alt. om.* *X* | ne loquatur V^1; *dy* nequatur H_1 | diuerte *αCD*^{1}*G*$_{1-4}$; *S*; H_{1-3}*e*; *Rv*; *IJ*; *ftx* diuerte autem *c* | inquire] inquirat *B* | sequere] persequere D^2; *S*; *in* **18** feceris *X* | super] semper super *S* | uos] uos iustos $\mu_{(2.3)}$ | meae] meas $\mu_{(2.3)}$; *O* me * H_1 | ad] in $\mu_{(2.3)}$; *g* | uobis *om.* H_{1-3}; *FIQ*; *j*^{1}*txz* | *post* ecce *ras. 5 litt.*, adsum *add. in textu* H_3^4 **19** ab *om.* *α*G_{1-4}; *175 Km*; *î*; *e*; *334*; *vb*; *FIJQ*; *dhijnrptxz, eras. in ACD*; *S*; H_3; *c*; *P*; *go* | ad hanc uoce H_2 | inuitantes T^1; V^1M^1 | carissimi] Karissimi *BCTD*; *OS*, *deest in* $\mu_{2.3}$ **20** pietatem suam M^1 | demonstrans *V*; o^1 ualde monstrat H_1 | uitae uiam *tr.* $\mu_{(2.3)}$ **21** subcinctis *B*; *î* succincti *σG*$_2^1$; H_1*e*; *b* succingentes *V* | fidem

22 In cuius regni tabernaculo si uolumus habitare, nisi illuc bonis actibus curritur, minime peruenitur.
23 Sed interrogemus cum propheta dominum dicentes ei: *Domine, quis habitauit in tauernaculo tuo aut quis requiescit in monte sancto tuo?*
24 Post hanc interrogationem, fratres, audiamus dominum respondentem et ostendentem nobis uiam ipsius tabernaculi
25 dicens: *Qui ingreditur sine macula et operatur iustitiam;*
26 *qui loquitur ueritatem in corde suo; qui non egit dolum in lingua sua;*

---

23 psalm. 14, 1 **25–27** psalm. 14, 2–3 (*cf. B. Egli, Der 14. Psalm im Prolog der Regel des hl. Benedikt, 1962*)

ABCσTDG$_{1-4}$; *175 KmX*; [$\mu_{2.3}$]; *OVSMW*; *i*; *H*$_{1-3}$*Ye*; *334*; *Ra* (*inde ab* 22: minime), *vbc*; *LEFIJPQ*; *dfghijnoprtxyz*

$\mu_{(2^1.3)}$; V^1; $H_{1.2}$; *R* fidei *OS*^{1}; *E* | uel] et *334* | obseruantiam *X*; μ_3; V^1; $H_{1.2}$; *R*; I^1 obseruantiae *O*; *i* | actuum] operum actuum *179* actuum uel castitate et caritate H_1 | lumbos nostros V^2, *om. b* | per ducatum] *om. b* | per ducatum euangelii pergamus] perducat cum euangelio pergamus H_2 et calciatis in praeparationem (-ne *OS*; *j* praepationem *V*) euangelii pacis pedibus (*Eph. 6, 15*) pergamus *OVS*^{1}; *i*; *e*; *J*; *dgjx* | itenera *O* | mereamur (a *s. l.* A^1) *A* | in regnum suum uocauit *tr.* $\mu_{(2.3)}$ | in regnum suum] *ABCσT*; *175 KmX*; $\mu_{(2.3)}$; H_{1-4} *Ye*; *Rvc*; *L* in regno suo *αDG*$_{1-4}$; *i*; *OVSM*; *334*; *b*; *EFIJPQ*, *cett.* **22** tabernaculum V^1; $H_{1.3}$ -lis *O* -li M^1 | si uolumus] suo uolumus B^1; *e* | illuc] hic H_3 qui illuc *X* | minime] illuc minime H_3 | curritur] A^1 (*fort. ex* curratur), *BσT*^{1}*G*$_3$; *175 KmX*; $\mu_{(2)}$; *Y*; *v*; *P*; *fh*^{1} curratur *CT*^{2}*D*^{2}*G*$_{1.2}$; μ_3; *OVSM*; *i*; H_{1-4}*e*; *334*; *LFI*; *gj* currendo *α* (*? eras.*) D^1; *EQ*; *bc*; *dh*^{3} *inoprtxyz*^{1} currendum *R* currente *J* | peruenietur *S* **23** interrogamus *O*; *E* -gemur *I* | profeta *O* | dominum *om.* G_2 (deum *s. l. mp*) | dicentem D^1 | ei *om. ασ*; G_3; *m*; H_{1-3}*e* | domine *om.* g^1 | habitauit] *ABT*; *m*; $\mu_{(2)}$; H_2; *Ra*; *L*; *di* habitabit *αCσDG*$_{1-4}$; *175 KX*; μ_3; *OVSM*; *i*; $H_{1.3}$*Ye*; *334*; *vbc*; *EF*, *cett.* | tauernaculo] *A* tab- *αBCT*; *OVS*, *cett.* taberna *R* | requiescit *ABTD*; $\mu_{(2)}$; *OV*^{1}*S*^{1}; H_3^{1}*e*, *Ra*; *L*; *j*^{1} requiescet *αCσG*$_{1-4}$; *175 KmX*; μ_3; *M*; *i*; $H_{1.2}$*Y*; *334*, *cett.* **24** fratres] fratres carissimi *O*, *om.* D^1 (*add. s. l.* D^2) | domino *X* | dominum respondentem] contra nos dominum iterum respondentem $\mu_{(2.3)}$ **25** dicens] *ABC*^{1}*σT*; *175X*; $\mu_{(2.3)}$; *OVSM*; *i*; *e*; *R*; *E*; *jx* dicentem C^2D^1; *Km*; *Y*; *L*; *fz*^{1} ac dicentem A^{mp} (*in mg*) $G_{1-4}D^2H_3^4$; *334*; *abc*; *FIJPQ*; *dhinopryz* et dicentem *gt* atque dicentem *v*, *om.* H_{1-3}^{1} | ingreditur] ingreditur inquid $H_{1.3}$^{1} | et] qui $\mu_{(2.3)}$ | iustitiam] iustiam *A* iustitia *R* **26** ueritate μ_2 | qui (*alt.*)] et *O*; *I* | non *om. R* | sua *om.* H_3^{1}

27 *qui non fecit proximo suo malum; qui opprobrium non accepit aduersus proximum suum;*
28 qui malignum diabolum aliqua suadentem sibi cum ipsa suasione sua a conspectibus cordis sui respuens deduxit ad nihilum et paruulos cogitatos eius tenuit et adlisit ad Christum;
29 qui timentes dominum de bona obseruantia sua non se reddunt elatos, sed ipsa in se bona non a se posse, sed a domino fieri existimantes
30 operantem in se dominum magnificant illud cum propheta dicentes: *Non nobis, domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam,*
31 sicut nec Paulus apostolus de praedicatione sua sibi aliquid inputauit dicens: *Gratia dei sum, id quod sum;*

---

30 psalm. 113b, 1 **31** I Cor. 15, 10

---

28 *cf.* psalm. 14, 4; Eph. 1, 18; psalm. 136, 9; I Cor. 10, 4 a conspectibus cordis sui, *cf.* Aug. conf. 8, 28 adlisit ad Christum. *cf.* Hil. in psalm. 136, 14; Hier. epist. 22, 6; Aug. in psalm. 136, 21; Ambr. paenit. 2, 106; Orig. c. Celsum 7, 22 (*cf. J. B. Bauer, Benedikt und Origenes, WienSt. 87, 1974, 182 sqq.*) **29** timentes dominum, *cf.* psalm. 14, 4 **30** *cf.* Phil. 2, 13

A B C σ T D G$_{1-4}$; *175 Km X*; [$\mu_{2.3}$]; *O V S M*; *i*; *H*$_{1-3}$ *Y e*; *334*; *R a v b c*; *L E F I J P Q*; *d f g h i j n o p r t x y z*

---

27 qui non] nec *334* | facit *X*; *H*$_3$ egit Y | proximum suum *V* | qui] et σ; *O*; *P* | opprium *A*^{1}, *corr. A*^{2} obprobrium *B C T D*; μ_2; *V* obproprium *O S* | aduessus *V* | aduersus proximum suum] aduersus proximos suos *opr* aduersus proximo suo *H*$_1$ **28** diabulum *B T*; *O V M* | aliqua suadentem] cum aliqua suadente *179*; *S*^{1}; *e* aliqua suadente *H*$_1$ suadentem aliqua *O* | suasionem *V*^{1} | sua *om. m*; $\mu_{(2.3)}$; *V*; *R a v*; *g*^{1} *i j*^{1} *x* | a conspectu cordi sui *H*$_1$ | respuens] respuendo *H*$_{1.4}$ | paruulus *V*^{1} *S*^{1}; *i* | cogitatos] *A D*^{1}; *X*; $\mu_{(2)}$; *M*^{1}; *H*$_{1.3}$^{1}*e*; *R*; *L* cogitatus *a B C D*^{2} σ *T G*$_{1-4}$; *175 Km*; μ_3; *O V S M*^{2}; *i*; *H*$_2$ *Y*; *334, cett.* | adlisit *A*^{1} *T*; *O V S* all- *A*^{2} *B C D* | ad] in *dh*^{1} | Christum] Christum petram $\mu_{(2.3)}$ **29** timentis *d* | elatos *A B* | bona] in bonum *V*^{1} (in *eras.*, bona *corr. V*^{2}) | se *om. O*^{1}, *add. in mg. O*° | existimantes] existimant *O*^{1} (es *add. O*^{5}) *V*; *g*^{1} exestimant *SM* exestimantes *TD*; *E* extimantes *H*$_2$^{1} aestimantes $\mu_{(2.3)}$ **30** operante *O*; *R* operantis *H*$_1$ oparentem *S*^{1} operantes autem *d* et operantem *gi* | in se] in se magis $\mu_{(2.3)}$ | domino *O* | magnificantem *V*^{1} (em *eras.*) magnificent $\mu_{(2)}$ | illud] illum μ_2^{1}; *OM*; *H*$_{1.3}^{1}_{.4}$*e*; *R*; *LP*; *f* | profeta *O* | dicentem μ_2^{1} | non *alt. om. X* | nomine *S*^{1} **31** sicut] *deest in* $\mu_{(2.3)}$ sicut

32 et iterum ipse dicit: *Qui gloriatur, in domino glorietur.*
33 Unde et dominus in euangelio ait: *Qui audit uerba mea haec et facit ea, similabo eum uiro sapienti, qui aedificauit domum suam super petram;*
34 *uenerunt flumina, flauerunt uenti et inpigerunt in domum illam et non cecidit, quia fundata erat super petram.*
35 Haec complens dominus exspectat nos cottidie is suis sanctis monitis factis nos respondere debere.
36 Ideo nobis propter emendationem malorum huius uitae dies ad indutias relaxantur
37 dicente apostolo: *An nescis, quia patientia dei ad paenitentiam te adducit?*

---

32 II Cor. 10, 17 **33—34** Matth. 7, 24—25 **37** Rom. 2, 4

ABCσTDG$_{1-4}$; *175 KmX*; [$\mu_{2.3}$]; *OVSM*; *i*; H_{1-3}*Ye*; *334*; *Ravbc*; *LEFIJPQ*; *dfghijnoprtxyz*

---

enim H_2 sed *i* | de praedicatione] depr(a)ecatione *179*^{1}; μ_2; H_2^1 (*corr.* m^1); Ra^1; *J*; j^1 | sua *deest in* $\mu_{(2.3)}$ | aliquid] aliqua $\mu_{(2.3)}$ | inputauit *ABC*; *VS* imputauit *175*; *O* imputabit D^1 inputabit *T* inputabat *334* **32** iterum] item $\mu_{(2.3)}$ | qui gloriatur] si gloriari oportet $\mu_{(2.3)}$ *deinde usque ad* qui audit (33) *diverse* **33** unde] deinde *Y* | et *pr.*] *om.* *X*; *b* | uerba] mandata *b* | haec *om.* *a*; H_{1-3}*e*; *v*; *IQ*, *eras. in c* | haec uerba mea *tr.* $\mu_{(2.3)}$ | facit] facitet *S* seruat *b* | similabo] adsimilabo *aD* assimilabo G_3; *b* similis est (*om.* eum) H_3 | aedificabit D^1; H_1 | super] supra *σ*; *i*; H_{1-3}*Ye*; *334*; *Rv*; *EFIJQ*; *dgijnoprtxyz* | petra *C*; *X* | *post* petram: *ras. 2 litt.* (et?) *in O* **34** uenerunt—petram *om.* *d* | inpigerunt] A^1C; μ_3; V^1M; *Ra* impigerunt *B*; S^1; *I* in(m)pegerunt A^2TDG_{1-4}; *175 KmX*; $\mu_{(2)}$; OS^{pc}; H_{1-3}, *cett.* inpeierunt *Q*; *r* | in] *om.* *X*; H_3; *b*; *Q*; j^1*x*, *eras. in r* | domo illa $\mu_{(2)}$ | quia (qui C^1, *om.* *B*) fundata erat] fundata enim erat G_3; $\mu_{(2.3)}$; *Y*; *FQ*; *nty* | super] supra *aBCDG*$_3$; *M*; H_{1-3}*Ye*; *334*; *Ravbc*; *EFIJP*; *dfhijnoprtxyz* | petra *X*; μ_2; H_1 **35** haec complens (conpl-*O*)] et conplens dominus haec H_1 | exspectat] *ACD* expectat *BT*; *OVM* tacet spectans $\mu_{(2.3)}$ | suis sanctis] sanctis suis uel *X* | nos *om.* *175 Km*; *334*; *b*; L^1; *t* uos *X*, *eras. in* G_1; *h* | cottidię *AD*; *S* cotidie *BCT*; *OVM* | is *A* (*cf.* 48, 2: ac = hac) his *aBCT*, *cett.* in H_1 ipsis *I* | sanctis suis *tr.* $\mu_{(2.3)}$; *X*; S^1; *Y*; *EQ* | nos *om.* g^1 | debere] debemus *b* deberemus *R* **36** nobis] cottidie nobis $\mu_{(2)}$ | ęmendationem *A* emendatione μ_2 | dies uitae *tr.* *M*; *P*; *t* | indutias] A^1BC; *OV* inducias A^2T; *S* induciam *g* **37** dicentem apostolum V^1 | apostulo A | an nescis *om.* *X* | nescis] nescitis $\mu_{(2.3)}$;

38 Nam pius dominus dicit: *Nolo mortem peccatoris, sed conuertatur et uiuat.*

39 Cum ergo interrogassemus dominum, fratres, de habitatore tauernaculi eius, audiuimus habitandi praeceptum: sed si compleamus habitatoris officium.

40 Ergo praeparanda sunt corda et corpora nostra sanctae praeceptorum oboedientiae militanda.

41 Et quod minus habet in nos natura possibile, rogemus dominum, ut gratiae suae iuueat nobis adiutorium ministrare.

---

38 Ezech. 33, 11; *cf.* Ezech. 18, 23

---

40 praeparanda sunt corda, *cf.* I Sam. 7, 3 **41** gratiae—ministrare, *cf.* Fulg. Rusp. epist. 17, 47

ABCσTDG$_{1-4}$; *175 KmX*; [μ_1 (*inde ab* § 40: ergo) $\mu_{2.3}$]; *OVSM*; *ĩ*; *H*$_{1-3}$ *Ye*; *334*; *Ravbc*; *LEFIJPQ*; *dfghijnoprtxyz* (*D*; *OVSM usque ad* 39: officium; § 40—50 *in S ante prologum, cf. p. XL sq.*)

H$_1$; *I*; *gr, alii* | te] uos *b*; *ĩ* nos μ_3 | poenitentiam *O* | adducet *V*^{1} adduci *S*^{1} reducit *H*$_1$ **38** peccatores *A*^{1}*G*$_1^1$, *corr.* *A*^{1}*G*$_1^2$ | sed] *ABCσT*; *175*^{1}; $\mu_{(2.3)}$; *M*; *H*$_{2.3}^1$; *L* sed ut *aDG*$_{1-4}$; *KmX*; *OVS*; *ĩ*; *H*$_1$, *cett.* sed ut magis *n* **39** ergo *om. 334* | fratres *om. H*$_1$ | habitore *S* habitatorum *i* | tauernaculi *A*^{1} tab- *aBCT*; *OV* tabernacula *S*^{1} | habitandi] habitantis *O* habitatores *H*$_3^1$ | praecaeptum *O* | sed] et *F* sed et Y; *nt* | complemus *A*^{1}, *corr. s. l.* *A*^{1} conpleamus *BCTD*; $\mu_{(2)}$; *OVSM, cett.* **39 sq.** officium. Ergo praeparanda sunt ... *ABCσT (supra ras.)* *G*$_{1-4}$; *175*; $\mu_{(2.3)}$; *ĩ*; *H*$_{1-3}^1$ *Y*; *Rb*; *LF*^{1}; *fy* officium erimus heredes regni caelorum. Ergo praeparanda sunt ... *T*^{1} (erimus—caelorum *eras.*); *KmX*; *H*$_3^{mp}$; *334*; *avc*; *EIJPQ*; *dghijnoprtxz*; *sed post voces* officium erimus heredes regni caelorum *finitur prologus in codd. D*; *OVSM* (amen *add. S*), *praeterea etiam in codd. Aureliano 149, Clermont-Ferrand 341, fragmentis codicis Regispontani* (*cf. Hanslik, Festschrift Waszink* [*1974*] *189—193*); *prologi paragr. 40—50 extant ante prolog. § 1 in cod. S, ex exemplari quodam puro sumptae* **40** corda et corpora nostra] corda nostra et corpora *tr.* $\mu_{(2.3)}$; *S*; *H*$_{1-3}$ *Ye*; *Rbc*; *EFIP*; *gopt* corda nostra (*om.* et corpora) μ_1 | militanda] *ABCσTG*$_{1.2}^1$.$_4$; *175 KmX*; $\mu_{(1-3)}$; *S*; *ĩ*; *H*$_{1-3}$*e*; *a*; *fghi* militatura *a* (tura *mp*) *G*$_3$; *334*; *Rvbc*; *LEFJPQ*; *djnoprtxyz* militaturis *I* **41** in nos] in nobis *aG*$_{1-4}$; *ĩ*; *H*$_1$; *334*; *Rbc*; *LEFJP*; *dghijntxy* | iuueat] *A*^{1}; *179* iubeat *aBCT* adibeat *S*^{1}; *g* habeat *i* | ministrare] om tre (= omnis terrae) *S* ministrari *b*; *n, om. g*

42 Et si fugientes gehennae poenas ad uitam uolumus peruenire perpetuam,
43 dum adhuc uacat et in hoc corpore sumus et haec omnia per hanc lucis uitam uacat implere,
44 currendum et agendum est modo, quod in perpetuo nobis expediat.
45 Constituenda est ergo nobis dominici scola seruitii.
46 In qua institutione nihil asperum, nihil graue nos constituturos speramus.
47 Sed et si quid paululum restrictius dictante aequitatis ratione propter emendationem uitiorum uel conseruationem caritatis processerit,
48 non ilico pauore perterritus refugias uiam salutis, quae non est nisi angusto initio incipienda.

43—44 *cf.* Ioh. 12, 35 **44** *cf.* I Cor. 9, 24 **45** dominici scola seruitii, *v. B. Steidle, Benedikt. Monatsschr. XXVIII (1952) 397—406* **48** uiam—incipienda, *cf.* Matth. 7, 14 uiam salutis, *cf.* Rufin. hist. mon. 9

ABCσTG$_{1-4}$; *175 KmX*; [μ_{1-3}]; *S* (*ante prol.*); *î*; *H*$_{1-3}$*Ye*; *334*; *Ra* (§ 44—§ 50: consortes *desunt*), *vbc*; *LEFIJPQ*; *dfghijnoprtxyz*

---

42 si] sic S^1 | poenam $\mu_{(1-3)}$ | ad uitam perpetuam uolumus peruenire *tr.* *EP*; *t* | perpetuam peruenire *tr.* $\mu_{(2.3)}$; *Y*; *vb*; *F*; *nopr* | perpetuam *om.* μ_1 **43** uacat *pr.*] uagat H_1 *deest in* μ_1 | hoc *om.* $\mu_{2.3}$; *R* | sumus] sumus expetenda sunt animarum nostrarum remedia H_3 | et *alt.*] ad *jx*, *om.* Q^1 | haec omnia *om.* *FIQ*^{1}; *t* | hanc *om.* A^1, *add. s. l. et obelo punctisque ut a quibusdam codd. omissum seclusit a*; *om.* *b* | lucis uitam] lucis uiam *ghi* **44** modo est *tr.* S^1 | in perpetuum *aTG*$_{1-4}$; *175 KmX*; *î*; *S*; $H_{2.3}$*Ye*; *avbc*; *LEFIPQ*; *finoprtx*^{2}*yz* in futurum *R* in aeternum *h* | uobis *B* | expediat] expediant *B* **45** construenda *x* | nobis] *ACσ*; *175*^{1}; $\mu_{(1.2)}$; $H_{1.2}$*e*; c^1; *dfoprz* a nobis *aBTG*$_{1-4}$; *KmX*; μ_3; *S*; *î*; H_3*Y*; *334*; *Rvbc*^{2}; *LEFIJPQ*; *ghijntxy* | dominici seruitii scola *tr.* *e*; *EP* **46** qua] quo H_2 | in qua—dei (49) *deest in* μ_{1-3} | nihil *alt.*] nihilque G_3; H_3^4*Y*; *v*; *FI*^{2}*JQ*; *hij*^{2}*noprtyz* | constituros *T*; *X*; $H_{2.3}^1$; *R* constitutos H_1 | sperauimus R **47** et] *om.* H_3^1 | paulolum $G_{1.3.4}$; *S* paulum *X* | restrictius —ratione] restrictius (restrictus H_2^1) dictantem equitatis rationem H_2 | aequitates S^1 | emendatione $H_{1.3}^1$; *R* | uel] et *t* | conseruatione *BC*^{1}*σ*; *Y*; y^1 conuersacionem S^1; j^1 obserbationem H_1 | caritatis] castitatis H_2 **48** ilico *om.* H_2 | refugias] fugias *aG*$_{1-4}$; *S*; $H_{1.3}^1$*e*; *bc*; *z* refugiat *IJ* refugiam *R* refugians *d* fugiens H_2 | angusta *X* in angusto *E* | initio incipienda] itinere (iten- S^1) incipienda S^1; *g* | incipiendo H_2

49 Processu uero conuersationis et fidei dilatato corde inenarrabili dilectionis dulcedine curritur uia mandatorum dei,
50 ut ab ipsius numquam magisterio discidentes in eius doctrinam usque ad mortem in monasterio perseuerantes passionibus Christi per patientiam participemur, ut et regno eius mereamur esse consortes.

---

49 processu—dei, *cf.* psalm. 118, 32 conuersationis et fidei, *cf.* Pachom. reg. 190; Cassian conl. 3, 15, 2 dilatato corde *et* curritur uia mandatorum dei, *cf.* Sacr. Gelas. 3, 25 **50** magisterio discidentes, *cf.* Cypr. epist. 63, 10 in eius doctrinam—perseuerantes, *cf.* Act. apost. 2, 42; Phil. 2, 8; II Ioh. 9 (*v.* Caes. Arel. reg. mon. 1) passionibus—participemur, *cf.* I Petr. 4, 13; Rom. 8, 17

ABCσTG$_{1-4}$; *175 KmX*; [μ_{1-3}]; *S* (*ante prol.*); *i*; *H*$_{1-3}$*Ye*; *334*; *Rvbc*; *LEFIJPQ*; *dfghijnoprtxyz*

---

49 processu] progressu *Y*; *c*^{1}; *FIQ*^{1} | conseruationis *H*$_3$, *om. F*^{1} | et *om. F*^{1} | fidei] si dei *S*; *e* | dulcidine *B*; *S* dulcedinem *H*$_1$ | uia] uiam *m*; *H*$_3$*e*; *d*, *om. S* **50** numquam] notitiam *S* | magisterio numquam *tr. G*$_{1.2}$; *i*; *I* | magisterio] in monasterio *T* | discidentes] *ABT*^{1} discedentes *aCσT*^{2}; $\mu_{(1^1.3)}$, *cett. praeter*: discentes *S*; *e* descedens *j*^{1} discendentes μ_1^{pc} descendentes μ_2 | in eius] et in huius $\mu_{(1-3)}$ | doctrinam] *AC*^{1}; *175, 179, 442, m, X*; $\mu_{(1)}^1$; *H*$_{1-3}^1$; *F* doctrina *aBC*^{2}*σTG*$_{1-4}$, *cett.* | in monasterium *H*$_2$ | passioni $\mu_{(1.2)}$ | participemus *S*^{1}; *b*; *I* particimur *X* | ut *om. H*$_1$ | et] *ACσT*; *175 KmX*; $\mu_{(2.3)}$; *H*$_1$; *vc*; *EJPQ*; *dfhijnxz*, *om. aBG*$_{1-4}$; *i*; *S*; *H*$_{2.3}$*Ye*; *Rb*, *cett.* | regno] *ACσT*^{1}; *175*^{1}; $\mu_{(1-3)}$; *f* regni *aBT*^{3}*G*$_{1-4}$; *KmX*, *cett.* | participemur—consortes] mereamur esse participes ut et regno eius (in regno eius μ_1) dominus nos faciat coheredes amen (amen *om.* μ_1) $\mu_{(1-3)}$ | consortes] *BCTG*$_{1.2.4}$; *175, alii* consortes amen *AG*$_3$; *179 mX*; *S*; *H*$_{1.2}$, *alii* | post consortes *add.*: explicit prologus *aCG*$_{1-3}$; *175, 179, 442, m*; *H*$_3$*Y*; *R*; *LQ* explicit prologus regulae *F* expliciunt praefat̄ *P*, *alii aliter*; explicit prologus *legitur etiam in cod. D paragr. 39 finito. Deinde in codd. sequitur*: incipiunt (-pit *175*) capitula regulae monasteriorum (monachorum *G*$_1$) *ABG*$_1$; *175, pauci* incipiunt capitula *CσG*$_2$; *179m*; *S*; *R*; *h* incipiunt capitula (-lae *T*) regulae *T*; *EF*; *g* incipiunt capitula regulae monasterii *V*; *Q* capitula regulae incipiunt *O* incipiunt kapitule eiusdem regule domini Benedicti abbati *H*$_1$ incipit capitulatio eiusdem regulae *H*$_2$ incipiunt capitula eiusdem regulae *H*$_3$, *alii aliter. Sequuntur versus Simplicii*: qui leni iugo . . . *in cod. S. Maxime probaverim lectionem*: capitula regulae. *Addidamenta supra commemorata desunt in codd. D*; *W*; *334*; *b*; *I*; *nt*, *aliis*; *desunt indices ipsi in aliquot codd., ut WM*; *Y*; *b*; *I*; *n*, *aliis*; *interdum sunt positi ante prologum ut in codd. S*; *j*, *aliis*

CAPITULA REGULAE

I. De generibus uel uita monachorum.
II. Qualis debeat esse abbas.
III. De adhibendis ad consilium fratribus.
IIII. Quae sunt instrumenta bonorum operum.
V. De oboedientia discipulorum qualis sit.
VI. De taciturnitate.
VII. De humilitate.
VIII. De officiis diuinis in noctibus.
VIIII. Quanti psalmi dicendi sunt nocturnis horis.
X. Qualiter aestatis tempore agatur nocturna laus.
XI. Qualiter dominicis diebus uigiliae agantur.
XII. Qualiter matutinorum sollemnitas agatur.
XIII. Priuatis diebus qualiter matutini agantur.

ABCσTDG$_1$*G*$_2$ (cap. XI—XLVII $\mathfrak{G}_2$), *G*$_{3.4}$; *175 KmX*; *OVS*; *î*; *H*$_{1-3}$*e*; *334*; *Ravc*; *LEFJPQ*; *dfghijoprxyz*

